





1
6
507









+

Vincentij Meliorati Remigij f. καὶ τῶν φίλων.

XV
FER



OMNIBONI FERRARII

MEDICI AC PHILOSOPHI DE ARTE MEDICA INFANTIVM, LIBRI QVATVOR.

QVORVM DVO PRIORES DE tuenda eorum ſanitate, poſteriores de curandis Morbis agunt.

AD EXCELLENTISSIMVM CELEBERRIMVMQVE *Philoſophorum ac Medicorum Veronenſium Collegium.*





BRIXIAE,
Apud Franciſcum, & Pet. Mariam fratres, de Marchettis.
M. D. LXXVII.



EXCELLENTISSIMO CELEBERRIMOQ. MEDICORVM AC PHILOSOPHORVM VERONENSIVM COLLEGIO

OMNIBONVS FERRARIVS MEDICVS, ET PHILOSOPHVS S. P. D.



OPTIMO Cuiq; , Viri excellentissimi, duo potissimum in omni vita debent esse proposita. Primum, vt cùm se natum ad agendum semper aliquid nobilitate hominis dignum intelligat, inertiam vitet, ne otio sese tradens marcescat, vitamq; silentio transeat. Alterum, vt de se benemeritis gratum se, ac memorem præbeat, cumq; ab aliis hominibus, qui vel adhuc viuunt, vel naturæ iam concesserunt, innumerabilia acceperit beneficia, ipse quoque ad humani generis vtilitatem, aliquid, quod & præsentibus, & futuris prodesse queat, in medium proferat. Cùm igitur animaduerterem veteres, qui ad hunc vsque diem de tuenda infantium sanitate scripserunt, de morbis nutricis, re admodum infantium valetudini necessaria, nihil, aut certe parum scripsisse, neque de morbis singulis, qui illi ætati solent euenire, plenè, aut methodicè curationem propriam tradidisse. Inter recentiores autem,

etsi quidam nonnulla tetigerunt, multa tamen, quæ vel ad nutricem, vel ad infantium curam, & morbos pertinent, prætermisisse, aut modicè, aut laconicè, potius de illis locutos fuisse, operepretium me facturum existimaui, si munus hoc diligentius ipse pertractarem. Itaque quatuor libris à me summis vigiliis, laboribusq; & quàm maxima potui, diligentia conscriptis, hanc medicinæ partem totam complexus sum. Quos quidem libros cum in lucem ad communem omnium vsum, & commodum essem editurus, meminissemq; me septimum iam annum in hac illustri, ac celeberrima patria vestra commorantem, multa à vobis, cùm singulis, tùm vniuersis beneuolentiæ, atque humanitatis officia percepisse, eos vobis, & excellentissimo Collegio vestro dicare constitui, vt & grati animi, & singularis meæ ergà vos obseruantiæ in perpetuum essent testes; atque eiusdem Collegii, cui nullum aliud in tota Europa, vel nobilitate, vel eruditione, vel priuilegiis, atque iccirco etiam auctoritate est anteponendum, præsidio muniti, tutiores, & grauiores in manus hominum prodirent. Nunc igitur, viri clarissimi, & præstantissimi, pro summa humanitate, quam semper in vno quoque vestrum expertus sum, lucubrationes has nostras benignè, vt soliti estis, suscipite, & in exiguo munere magnum ergà vos largientis amorem, ac beneuolentiam complectimini. Valete. Veronæ Kal. Martii. 1577.

III

OMNIBONVS FERRARIVS
MEDICVS, ET PHILOSOPHVS
CANDIDIS LECTORIBVS.
S. D.





VM FIERI *plerunque soleat, ut quæ in unaquaque arte scripta quotidie in publicum prodeant, ea non ab eius peritis modo, sed à quamplurimis etiam aliarum studiosis interdum legantur. Nos in hoc opere nostro scribendo, in quo artem medicam infantium tradere sumus conati, quo ea facilius ab omnibus percipi poßet, dedimus operam ut tritis hodiè, & apud medicos usitatis uocabulis, ac dicendi formis in loco uteremur, nè medicum professi inanem potius nobis cultæ latinæ linguæ plausum, quàm solidum alijs utilis ad uitam scientiæ nostræ fructum quærere uoluiße uideremur. Quo quidem factum est, ut ad maiorem etiamnum quorumuis cognitionem, qui in horum librorum lectionem inciderent, auctorum nomina, libros, eorumque capita, undè maxima ex parte hæc mutuati sumus, quòd ea in margine, propter eius angustias commodè integra perscribi non potuerant, in tabella quadam seorsum adiuncta explicata haberi uoluerimus. Quòd si hunc laborem nostrum uobis aliqua ex parte satisfeciße, & profuisse senserimus, D. O. M. concedente, methodum de tuenda senum ualetudine, & curandis eorum affectibus, quam præ manibus habemus, alacriori animo absoluemus. Valete nostri memores.*

ABBREVIATA	SIC LEGITO
Aet.lib.4. cap 7.	Aetius libro quarto capite septimo.
Gal.lib. de causis morborum cap. 7.	Galenus libro de causis morborum capite septimo.
Gal.1.de sanit.tuen. cap.7.	Galenus libro primo de sanitate tuenda capite septimo.
Gal. quòd ani. mor. temp. corporis sequant.	Galenus quòd animi mores corporis tẽperaturam sequantur.
Gal. 5. de simpl. med. fac. cap. 21.	Galenus libro quinto de simplicũ medicamẽtorũ facultate ca. uigesimo primo.
Aul. Gel. lib. 12.	Aulus Gelius libro duodecimo.
Virg. lib. 4. Aeneid.	Virgilius libro quarto Aeneidos.
Auic. 1. F. 1. doc. 1. cap. 2.	Auicenna libro primo Fen. tertia doctrina prima capite secundo.
Paul. 4. cap. 2.	Paulus Aegineta libro 4. capite secũdo.
Gal. 6. de anat. adminis. cap. 1.	Galenus libro sexto de anatomicis administrationibus capite primo.
Gal. 1. de semine cap. 7.	Galenus libro primo de semine capite septimo.
Gal. lib. 3. de alim. fac. ca. 15.	Galenus libro tertio de alimentorum facultate capite decimo quinto.
Gal. de succor. bon. & uit. cap. 8.	Galenus de succorum bonitate, & uitio capite octauo.
Gal. 6. de morb. uulg. com. 5.	Galenus libro sexto de morbis uulgaribus commentario quinto.
Hip. 6. de morb. uulg. com. 4.	Hippocrates libro sexto de morbis uulgaribus commentario quarto.
Gal. de uenæ sectione ad Eras. cap. 5.	Galenus de uenæ sectione ad Erasistratum capite quinto.
Auic. 3. F. 20. tract. 1. cap. 11.	Auicenna libro tertio Fen uigesima, tractatu primo cap. undecimo.
Orib. lib. 5. cap. 3.	Oribasius libro quinto capite tertio.
Hip. 1. aphor. 20.	Hippocrates libro primo aphorismorũ aphorismo uigesimo.

Gal. 1. ad Glauc. cap. 14.	Galenus libro primo ad Glauconem capite quartodecimo.
Gal. de par. pilæ exer. cap. 1.	Galenus de paruæ pilæ exercitatione capite primo.
Hip. 2. de uict. rat. acut.	Hippocrates libro ſecundo de uictus ratione in morbis acutis.
Auic. trac. 2. de remed. noc. acci. ex aere cap. prop.	Auicenna tractatu ſecundo de remedijs nocumentorum accidentium ex aere capite proprio.
Marſ. Fici. lib. 2. de uita cap. 11.	Marſilius Ficinus libro ſecundo de uita, capite undecimo.
Cicero 2. de diuin. cir. m.	Cicero libro ſecundo de diuinatione circa medium.
Gal. lib. 11. de uſu part. cap. 8.	Galenus libro undecimo de uſu partium capite octauo.
Gal. lib. 8. met. med. cap. 91.	Galenus libro octauo methodi medendi capite nonageſimo primo.
Gal. lib. 1. de comp. med ſec. loc. cap. 9	Galenus libro primo de cõpoſitione medicamentorũ ſecundũ locos cap. nono.
Plinius lib. 20. cap. 3.	Plinius libro uigeſimo, capite tertio.
Albertus magnus de mineralibus, lib. 2. tract. 2. cap. 17.	Albertus magnus de mineralibus libro ſecundo, tractatu ſecundo capite decimo ſeptimo.
Gal. lib. de atra bile cap. 5. circa finem.	Galenus libro de atra bile capite quinto circa finem.
Gal. lib. prorrhet. 3. com. 69.	Galenus libro prorrhetici Hippocratis tertio commentario 69.
Gal. lib. 3. prognoſt. com. 34.	Galenus libro tertio prognoſticorũ Hip. commentario trigeſimo quarto.
Gal. lib. 4. aphor. 57. in com.	Galenus libro quarto aphoriſmorũ aphoriſmo. 57. in commento.
Hip. lib 5. prognoſt. tex. 15.	Hippocrates libro tertio prognoſticorũ textu decimo quinto.
Gal. lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 4.	Galenus libro ſecundo de ſymptomatum cauſis capite quarto.

Auic. lib. 3. F. 10. cap. de sign. asthm.	Auicenna libro tertio Fen. x capite de signis asthmatis.
Gal. lib. 1. de loc. affec. cap. 4.	Galenus libro primo de locis affectis capite quarto.
Gal. 3. de natur. fac. cap. 15.	Galenus libro tertio de naturalibus facultatibus capite decimo quinto.
Gal. lib. finit. med.	Galenus finitionis medicæ.
Alexander tral. lib. 9. cap. 2.	Alexander tralianus libro nono capite secundo.
Arist. lib. 5. de nat. anim. cap. 19.	Aristoteles libro quinto de natura animalium capite decimo nono.
Gal. lib. 2. de natu. huma. tex. 13.	Galenus libro secundo de natura humana textu tertiodecimo.
Gal. lib. de tum. præter nat. cap 17. & 18.	Galenus libro de tumoribus præter naturam capite 17. & 18.
Cor. Cels. lib. 6. cap. 18.	Cornelius Celsus libro sexto capite decimo octauo.



INDEX OMNIVM Capitum,

QVAE IN HISCE QVATVOR Libris de Morbis infantium tractantur.

CAPITA SECVNDI LIBRI.



CAP. TERTII LIBRI.

CAPITA QVARTI LIBRI.

FINIS.

ANTONII GROTTAE.

PRAEMIA summa sibi Venus, & Lucina petebant,
Quòd primæ humani caussa forent generis:
At Natura inquit, meruit FERRARIVS illa,
Quo sine quid prosunt munia vestra mihi?

PHOEBE tuas habuit semper rarissimus artes;
Dic precor; hoc nostro tempore numquis habet?
OMNIBONI, numeros, medicas atque inspice chartas;
Tu tibi iam poteris dicere, si quis habet.





OMNIBONI FERRARII MEDICI AC PHILOSOPHI DE ARTE MEDICA INFANTIVM.

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.



SCRIPTVRVS Artis medicæ partem, quæ infantium curam habet, & quam Græci pædotrophichin uocant, eam in duas præcipuas partes diuidendam putaui, unam scilicet, quæ ad tuendam sanitatem, & alteram, quæ ad curationes morborum pertinet; Quæ ad tuendam sanitatem attinet, in duos libros diuisa est; quorum primus erit prò ipsius tuenda infantis sanitate, de electione, uictus ratione, & curatione morborum nutricis, cùm multi morbi, tàm in intemperie, quàm in solutione continuitatis, infantibus eueniant, tùm propter earum ægritudines, tùm etiam propter malam uictus rationem, ex qua lac corrumpitur, & generantur

Aetius lib. 4. cap. 7.

Gal. de causa morb. c. 7

in ipsis infantibus uarij morbi: Quandoquidem pleræq; nutrices ineptis utentes cibis, uitiosum lac efficiunt; & ex hoc diuersis morbis infantes, qui etiam optimam structuram adepti sunt, obijciunt, cùm enim infantium corpora mollia sint, ac penè fluxibilia facilè inuertuntur; cùm & in exitu a matricis utero, non rectè ab obstetricibus excipiuntur, & non commodè fascijs inuoluuntur, ac deinceps à nutricibus sine modo, aut attolluntur, aut reponuntur, & dùm lactantur, & & dùm lauantur, & dùm fascijs alligantur. Secundus erit pro ipsa tuenda sanitate, de uictus ratione, & educatione infantis: Etenim ex malo regimine alteratur substantia, & deprauatur figura; sed ratione uictus, & tuendæ sanitatis methodo adhibita, hoc facile euitari poterit, & huiusmodi homo, qui arti sanitatis tuendæ traditur educandus, fortunatus utiq; erit, si statim editus in lucem ei committatur; Alteram uerò partem in duos alios paritèr diuisi libros, qui ambo erunt de medendis ipsis morbis particularibus, qui solent ipsis infantibus contingere, uniuscuiusq; uerò sigillatim ex rationali methodo curationem apponam.

Gal. lib. 1 de sanit. tuen. cap. 7.

DE ELECTIONE NVTRICIS.

CAP. I.

CVM satis compertum sit ægritudines corporis temperaturam sequi, alijs enim pituitosi, alijs bilosi, alijs sanguinei, & alijs melancholici morbis corripiuntur, &

cùm animi etiam mores eandem temperaturam ſequi Galenus doceat; propterea ſemper mater nutricibus præferenda eſt, niſi ex lactis defectu, aut corruptione, aut ægritudine, aut malis moribus hoc prohibeatur. Etenim unuſquiſq; ſibi perſuadet laudabilioribus moribus ornatam eſſe matrem, quàm nutricem; Qui matris lacte pueri aluntur, ij iàm non ſolum conſueto, uerùm etiam maximè proprio utuntur alimento. Lac.n. purioris ſanguinis menſtrui parti, ex qua fœtus in utero alitur, affine eſt, & nimis inhumanum, & monſtroſum eſſe uidetur in uiſceribus genuiſce, & aluiſſe filium, poſteà eum alieno lacte nutricandum tradere. Infans enim à nutritione, & materna cuſtodia ſeparatus, non facilè ſuſtinet ea, quæ neceſſariò accidunt eius uictui, ſicuti plantæ, dum in eodem loco, in quo natæ ſunt perſiſtunt, aeris ambientis iniurias facilè ferunt, ſed aliò translatæ, radicibus nondum benè firmatis facilè exareſcunt; uel ut hædi lacte ouillo, nutriti pilum gignunt teneriorem; Et agni lacte caprarum aliti lanam ferunt duriorem, eodem modo filij aliquandò cum alieno lacte aluntur, magis amant nutricem, quàm matrem; prout exemplo Cornelij Scipionis patet, qui cum anno ab urbe condita D. I I. ex bello contrà Antiochum uictor Romam redijſſet (ut ſcriptum legimus) decem ſtrenuos ſuos milites ex cauſa ueſtalium morte condemnauit, unde à Scipione Africano eius fratre prò mitiore ſententia aſſiduè fruſtra cum deprecatus fuiſſet, ac clementer poſteà precibus unius filiæ ſuæ Nutricis condemnatis peperciſſet, à nonnullis interrogatus,

Gal. quod ani. morb.

Gal. 1. de ſanit. tuen. c. 7.

Gal. 5. de ſimpl. med. fac. cap. 22.

gatus, quarè gratiam ipsam potius suæ nutricis filiæ, quàm intuitu Scipionis Africani matris filij concessisset; sic respondisse fertur: Ego magis mihi iudico esse matrem quæ, etsi non me peperit, per triennium me nutrijt, quàm quæ me peperit, & postea dereliquit. Ex Aulo Gellio etiam sumitur Phauorinus Philosophus, cùm audisset à matre cuiusdam nobilis puerperæ parcendum esse ei, & adhibendas puero nutrices, nè ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoq; nutricationis graue ac difficile accederet, dixisse, oro te mulier sine eam totam, integram esse matrem filij sui, quod est enim hoc contrà naturam imperfectum, atq; dimidiatum matris genus; peperisse, ac statim ab se se abiecisse: immanissimæ etiã feræ filios suos alunt, unde Virgilius, Hyrcanæq; admorunt ubera tigres. Verùm si mater erit aliqua legitima de causa impedita, tùnc ad electionem nutricis erit properandum, quæ debet habere has conditiones: Primum ut sit iuuenis, in qua ætate, si erit ab annis 25. usq; ad 35. melius erit, quoniã ea est salubrior, & fortior alijs; deinde boni coloris, qui indicat sanitatem? figuræ satis concinnæ; Etenim figura exterior significat semper compositionem interiorem; Si enim concinna est, semper bonum est signum, pectoris, lati, fortis, musculosi, & carnosi, non adipe abundantis, ut facilè possit abundare lacte, & sustinere ea incommoda, quæ lactantibus solent accidere, & eligenda omni studio, & diligentia est; quæ iàm bis peperit masculum, & non fœminam, & non abortit, & semel saltem lactauit, quia sic in ea lac facilè non corrumpitur, & magis assueta est in similibus. Postremò debet esse bonis moribus prædita, non iracunda, non melancholica, non

Cornelij Scipionis (handwritten margin note)

Aul. Gel. lib. 12.

Virg. lib. 4. AEneid.

Auic. 1. F. 3. doc. 1. c. 1. Paul⁹ AEgineta lib. 4. cap. 2.

Gal. 6. de anat. admin. cap. 1. Gal. arte med. cap. 11.

plena

plena mœrore, aut triſtitia, non ſtolida, paſsiones enim, & qualitates iſtæ corrumpunt, & permutant temperamentum lactentis, lac autem eius erit explorandum, eo modo, quo in ſequenti capite, declaratur.

DE LACTE NVTRICIS.

CAP. II.

LAC optimum, & præſtantisſimum eſt, quod guſtanti, olfacientiq́ ſuaue, intuenti candidum, æquabile, ac liquidi, craſsiq́ medium, apparebit; quod uitioſum eſt, è diuerſò, aut craſſum, aut caſeoſum, aut liquidum, & ſeroſum, ac liuidum, tùm conſiſtentia ipſa, coloreq́ inæquabile uidebitur, idem guſtantibus amarorem, aut ſalſedinem, aut qualitatem quampiam extraneam exhibebit; tale uerò, nec olfacienti, ſuaue erit; Lac etiam probari poteſt hoc pacto, lacte in uas uitreum infuſo coaguli portio miſceatur, digitisq́ agitetur, atq́ ità permittatur, donec cogatur, deindè inſpiciatur, utrum minor ſit pars, quæ in caſeum concreuit, quàm ea, quæ in ſerum abijt, quod ſi ſit utile erit lac, ſi contrà erit concoctu difficile, quod uerò æquam utriuſq́ portionem habebit, id erit probatiſſimum: illud etiam commendatur, quod in unguem pollicis ſtillatum, & in lucem ſpectatum, ungue inclinato, nec citò, nec tardè defluit. Prætereà inter bonitates, & optimas partes, lactis copia eſt neceſſaria prò nutricatione infantis; ſi igitur una tantū nutrix lacte abundauerit, multò ſalubrius infans unius naturæ lacte nutrietur, quam diuerſarum; nàm ſi non abundauerit plures conueniunt nutrices.

Gal. 1. de sa nit. tuen. c. 9.

Orib. lib. 5. cap. 3.

DE

DE VICTVS RATIONE NVTRICIS.

CAP. III.

SIC facta electione nutricis, quantum equorum equites, crurum, & manuum, brachiorumùe sagittarij curam habere quotidiè uideantur. tantam saltem ipsi nutrici, cerebri, cordis, & iecinoris rationem habere conuenit, imò tanto maiorem, quanto nobiliora, & magis ad uitam necessaria hæc membra, quàm illa sunt, & his frequentius, quàm illis utuntur, & maius beneficium afferunt; Etenim sanguis efficitur à naturali uirtute, quæ in iecinore uiget, cuius tenuissima pars in cordis uirtutem uitalem fluit, et exindè spiritus lucidissimi orti ad cerebri arcem, & animalis facultatem ascendunt, & sic per tres earum uirtutes tribus inseruientibus truncis in quolibet ipso principali membro, uno scilicet ex aorta arteria in corde, ex caua uena in iecore, & dorsi medulla in cerebro uniuersum corpus regitur, & nutritur, & calor innatus, ac spiritus ipsi, ex quibus efficitur, digeritur, expurgatur, & dilucidatur sanguis, qui posteà, si bonus est, conuertitur in optimum lac, si uero uitiosus in pessimum, qualis enim est sanguis, tales sunt spiritus, & tale uerò est lac, qualis est sanguis. Proptereà in primis caput eius quotidiè exonerato uentre, & nare mane à pituita expurgata pectat, & fricet, adeò ut sordes à cute abstergantur, abluat caput eius, etiam saltem semel in hebdomada, illud attendens, ut a lotione ipsa diligenter exsiccetur caput, & in lixiuio si cerebrum ualdè humidum habet ebulliendum curet chamæmeli, bacchare, maioranæ, rosarum, stæchados an. M. I. agarici in lineo panniculo ligati

3.1. Et prohibendum est omni ingenio, ne aeris frigiditas, & humiditas lædat caput ipsum, & præcipuè in die ablutionis; stomachus etiam si frigidus sit calidus arte, cum pannis ex optima, & molli lana contextis, & purpureo colore tinctis, uel leporina pelle, aut uulturis custodiatur. Cor autem, iecur, thorax, pedes, & ut breuiter omnia dicam, totum corpus semper calidum conseruandum est, nisi à maxima caliditate iecoris, & cordis, uel à nimia caliditate ambientis; Aliud indicetur; diligentissimèque prouidendum est. ut optimæ fiant concoctiones, nutrimentiue, neque ab aromatibus, neque ab alijs qualitatibus adeò sit calidum, aut frigidum, ut adurat, uel infrigidet sanguinem, uel inducat aliquam obstructionem in ipsis membris; Et cum surgit mane à lectulo, expurget thoracem, per palatum à pituita, & caput, prout dictum est, per nares, & omnia alia corporis excrementa. Operæ pretium est autem cauere, ne lac in grumos, uel in congelatam, uel nimis spissam substantiam conuertatur ut euitet, tùm in cibo, & potu, tùm in alijs rebus, ea, quæ augent, & generant pituitam; Ac etiam ne augeatur atra bilis, caueat à cibis in sequenti capitulo declarandis, & ab ira, à timore, à dolore, à tenebris, & à similibus, quoniam si sanguis efficitur melancholicus, & lac sibi simile gignit, & facilè in mammis generat ulcera cancrosa, & apostemata perniciosa, & multa alia sæua in infantibus accidentia.

DE CIBO, ET POTV NVTRICIS.

CAP. IIII.

Gal. 1. de sanit. tuen. c. 9.

IN primis de nutrice ipsa non parùm soliciti eſse debemus, quid edat, quid bibat, quo pacto in somno, uenere, exercitationeuè se habeat; propterea in primis statim diebus, quibus lactare incipit; si infans de recenti natus sit, cibum leuem, boni succi, & facilis concoctionis accipiat, ueluti sunt carnes uitulorum, hædorum, agnorum, ueruecum, & pullorum gallinacæorum, & auium terrestrium. Comedat panem benè fermentatum, elaboratumq́; & satis coctum. Bibat ius prædictarum carnium, uel aquam cum seminibus coriandrorum decoctam; Euitet uinum, nè lac nimis spiſſum ex ipsa potatione uini factum, cum difficultate in mox natis infantibus descendat per angustas partes gutturis, & prouocet distillationem à capite; Euitet omnia olera, & præcipuè syluestria, etenim nullum boni succi est, ne lacte deprauato incidat in aliquam ægritudinem simul cum infantulo, prout liquet ex Galeno, hoc pulcherrimo exemplo, dicente; nam lac quidem, quod uitiosi est succi, non adeò succum probum gignit; cui rei argumento fuit is infans, qui cum priore nutrice mortua, alterius praui succi lac suxiſset, totum corpus multis ulceribus habuit refertum, utebatur autem secunda hæc nutrix in agro syluestribus oleribus propter annonæ caritatem quæ ueris tempore acciderat. Postea transactis primis diebus inter olera comedere poterit lactucam, mentam, fœniculum, spinachiā, atriplicem, boraginem, saluiam, & petroselinum, quippè eorum qualitate adiuuat generationem lactis. cùm autem pau-

Gal. lib. 3. de alim. fac. c. 15.

cis

cis diebus peractis infans fortior, & solidior fit, solidiorem, & fortiorem cibum, moderatè tamen, nutrix comedere incipiat; & cibus saltem bis in die sumendus est, adeò ut famem cibus, & sitim potus expectet, fastidium, & nimiam saturitatem fugiat, & cibos nimis crassos, uiscosos, & frigidos, nè augeatur sanguis pituitosus; Nec non ut pariter melancholicus sanguis non augeatur, hortor ut diligentissimè caueat à cibis nimis duris, siccis, salsis, acribus, acutis, ueteribus, ustis, assatis, & frictis, à pane non benè fermentato, azimo, à carnibus bouinis ceruinis, leporinis, caseis ueteribus, leguminibus, ab eruca, à brassica, ab allijs, à cœpis, à porris, & à uino nigro spisso, turbido, & craßo, cùm enim sanguis melancholicus superabundauerit facilè in diuersas ægritudines diuturnas, & perniciosas incurret. Inter fructus autem euitet fugaces, quoniam facilè putrescunt, & comedat æstatis tempore nuces, auellanas, amygdalas, & cucurbitas; Autumno uuas, & ficus, præsertim cùm exactam maturitatem fuerint adepta. Hyberno autem tempore mala cydonea, pyra, & poma cocta, & etiam castaneas coctas; sunt enim ex his, quorum arbores ferunt, ferè succi mali exceptis castaneis, glandibus, quas uocant, quæ si rectè eas conficiat uentriculus, alibiles fiũt, ac crassi succi, minimè tamẽ mali; Et in uere comedere inter olera etiam lupulos, & asparagos poterit; Bibat uerò uinum non fumosum, satis maturum, & colore rubrum, & adeò temperatum, nè in cruditatem, aut ebrietatem incidat; nàm infans ex ipsa ebrietate, aut cruditate facillimè ægrotabit, & præcipuè ijs morbis, qui à materia cruda petunt caput.

Gal. de succorũ bon. & uit. cap. 8.

DE SOMNO ET VIGILIA NVTRICIS.

CAP. V.

IN somno autem oportet, ut nutrix sit temperata, ità tamē, ut poßit facere bonas concoctiones, caueat somnum diurnū post cibum, replet enim caput uaporibus crudis à cibo eleuatis, & prouocat destillationem à capite, dormiat noctu saltem per horas septem, & si oportuerit nocturno tempore, ob infantis uigilantiam, uigilare, mane stomacho ieiuno, dormiente alumno, dormiat, usq; ad digestionem, idq; si fieri poterit antè solis ortum, quoniam oriente sole alteratur, & agitatur aer, & sic alterantur etiam, & agitantur humores nostri, & præcipuè sanguis; ex qua alteratione, & agitatione, secundum humorum prædominium facilius in somno propter caloris concentrationem generantur diuersæ ægritudines: sed omni studio, & diligentia euitet uigilias noctis, & præcipuè post cœnam; Etenim in nocte melancholia, & pituita quæ frigidissimæ, & crassæ sunt dominantur; At in uigilia naturali calido ad cutem profuso, uiscera frigidiora euadunt, & sic augentur per ipsas uigilias humores ipsi frigidissimi. Per somnum autem ad centrum reuocatur calor naturalis. Euidenter enim uigilans calidior exterius; interius autem frigidior, dormiens è contrario, scilicet (ueluti dictum est) calor ad centrum reuocatus, & adeò ut in nocte per ipsam proprietatem caloris innati iuuatur comestorum concoctio, & fit diminutio generationis pituitæ, & melancholiæ, quæ duo horribilia monstra sunt in corporibus nostris, & præcipuè in nutrice perniciosa, ueluti nauigantibus Scylla, & Charybdis omni aßiduitate uitanda

Gal. 6. de morbis vulg. com. 5.

Hipp. 6. de morbis vulg. com. 4.

da; Dormire igitur à cœna conuenit ſaltem per horam, & in diluculo è lectulo ſurgere; Etenim in aurora mouetur (ut dictum eſt) aer per ipſum ſolis ortum, & ſic pariter per aerem humores. Propterea in uigiliarum tempore per motum ad ipſas uigilias pertinentem, magis attenuantur, & clariores fiunt ſpiritus; ſpiritus uerò clarum efficiunt ſanguinem, ac proindè ipſum lac, & ut uno uerbo dicam, dies uigilijs, & nox ſomno tribuatur.

DE COITV NVTRICIS VITANDO.

CAP. VI.

MVSAS Poetæ uirgines eſſe uolunt, etenim coitus rationi, & ingenio, quo diuinæ utuntur, aduerſatur, euacuat enim de ſubſtantia ſpirituum, propterea debilitat cerebrũ, & nè dicam ueluti dixit Epicurus, uenereorũ nullus eſt uſus ſalubris, cum eſt ſuperfluus (prout dicitur ſemper in nutrice) renes, hepar, ſtomachum, & præcordia lædit, adeò ut membra ipſa labefactata ſanguinẽ, & nutrimentum per uenas aquoſum, nimisq́ ſeroſum tranſmittant; quo nutrici, & infanti præcipuè, nihil pernicioſius eſſe poteſt; Conſulo igitur, ut ipſa nutrix à coitu omninò ſe abſtineat, & a conſuetudine uiri, & ab omnibus cibis bellarijs, quoniam ipſi uenerem, & menſes prouocant, & per fluxionem ipſorum menſium ſæpè deprauatur lac; Menſes enim uiri conſuetudine prouocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat; Quin etiam aliquæ (ſcilicet nutrices) in utero concipiunt, quo nocentius puello adhuc lactenti nihil eſt; Interim

Gal. 1. de ſanit. tuen. c. 9.

Gal de uene ſect ad Eraſ cap. 5.

enim quicquid sanguinis est optimum in fœtu, et coitu absumitur, Auicenna coitum similem comitiali morbo iudicauit, & quandoq; superat in ipso coitu cholera, & melancholia, & accidit ei uertigo à debilitate, & in illis in quorum corpore sunt humores mali cholerici, mouetur post coitum horripilatio.

Auic. 3 F. 20 trac. 1. c. 11.

Auic. ibid.

DE EXERCITATIONE NVTRICIS.

CAP. VII.

NVTRIX Otium tanquam horribile monstrum, ex quo pituita, & humores frigidissimi augentur, et generantur, omni cura, & cogitatione fugiat nisi maior urgeat necessitas, et exonerato uentre, si fieri possit, antequàm lactet infantē, exerceat se bis in die, mane, & uesperi ante cibum, cum ea exercitatione, quæ ad mulieres pertinet, & præcipuè ut infans meliori chymo alatur cum partibus supernis, etenim lac facilius eo modo expurgatur, & digeritur, uelutitexendo, molendo pannos, uel inuolucra infantis abluendo mundando uestes, uel cubiculum à sordibus expurgando, uel panem elaborando, coquendoq;, uel gestando infantem si trimestris, uel quadrimestris est, uel manibus ad conciliandum somnum, in cunis infantem ipsum agitando, mouendoq;, uel etiam deambulando domi parumper; Exercitatio enim ipsa mirum in modum confert, nàm exercitatione inferiorum iuuantur partes pectoris.

Orib. lib. 5. cap. 3.

Gal. 5. de sanit. tuen. c. 3.

DE CVRATIONE MORBORVM NVTRICIS.

CAP. VIII.

PRAEFATIO.

PRIVSQVAM De curatione morborum nutricis uerba faciam, pauca, ad faciliorem cognitionem huiusce artis declaranda pernecessaria mihi uidentur; Ac primum nostri instituti esse de morbis tantummodò scribere, qui etsi nutrici contingunt, tamen non sunt diuturni, nec eo tempore imminet periculum mortis. Secundò de his, qui dùm afficiunt nutricē, nihilominus ipsa nutrix, uel lactat infantem, sine multo eius nocumento, uel lactatura est infrà paucos dies. Tertiò de ijs morbis, qui sola uictus ratione, ex arte bene instituta facilè, uel paucis localibus adhibitis, curandi sunt. Quartò de his, qui pertinēt ad tuendā sanitatē infantis. Quintò & ultimò de his, qui nō indigent ad eorum curationem, neq; missione sanguinis, neq; medicamentis ualdè exiccantibus, & calefacientibus; Etenim ex ijs remedijs facilè extinguitur, uel exterminatur lac; sed tantummodo de ijs pertractare, qui facilè sanantur medicinis benedictis in primo, uel secundo gradu, quæ leniter euacuant, sine nocumento, ueluti est cassia fistula, manna, syrupus ex pluribus infusionibus rosarum, uel uiolarum, uel florum persicarum, diaprunum, electuarium lenitiuum, diasena, agaricus, & reubarbarus. Verùm in ijs affectionibus, quibus, uel missio sanguinis, uel remedia à caliditate, aut à frigiditate ualdè exiccantia conueniunt, tùm quoniam his oblatis occasionibus propter periculum defectus lactis, et periculum mortis, necesse est eligere aliam nutricem, tùm etiam, quia ab alijs

Gal. 5. de simpl. med. fac. cap. 22.

Gal. de uene sect. ad Eras. cap. 5.

alijs clarissimis uiris fusius, & separatim de omnibus ijs morbis pertractatum, & scriptum est; propterea de ijs tanquam superfluis in hoc opere nihil dicam.

DE TVMEFACTIONE, ET DOLORE MAMMARVM OB LACTIS REDVNDANTIAM. CAP. VIII.

DEFFINITIO MORBI CAVSAE SIGNA.

AFFECTIO Hæc in matre, uel nutrice contingere solet, ut plurimum post partum, quæ nihil aliud est, quàm a multiplicatione sanguinis, copiosa conuersio lactis, ex qua in ipsis mammis fit tumor, & tensio dolorosa, tùm propter cibi insueti abundantiam, tùm propter sanguineum corporis temperamentum, & signa manifesta sunt, & percipi poterunt tùm uisu, & tactu, tùm etiam ipsius nutricis sermone; propterea quantum ad partem prognosticam prædicere conuenit, lac quandò superfluit plurimum nocet, & apostemata gignit, & affert etiam alias ægritudines; Igitur in primis, secundum ipsam indicationem, debet nutrix parumper de suo cibo subtrahere, ut lactis exuberantia minuatur, & comedere cibos tum minus alentes, tum etiam in minore quantitate, & qui sint facilis concoctionis, & boni succi, et bibere aquam coctā cum seminibus coriandrorū, uel iura carnium pullorum, uel uitulorum, & quotidiè aluum exonerare fecibus, uel spōte, uel arte clysterijs communibus, alternis diebus positis, & hoc modo paratis, ℞. bliti, maluarum, mercurialis matrum uiolarum, furfurum, an. M. I. bulliant omnia simul in s. q. a. posteà colentur, & s. a. fiat decoctio, de qua decoctione ℞. libram unam, & uncias duas, olei oliuarum

Auic. 3. Fen. 21. cap. 3. PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

com

communis unc. ʒ. uitelli unius oui. salis q.s. misce, & fiat clyster, posteà parum se exerceat, & præcipuè deambulando domi, ieiuno, stomacho, quoniam exercitatione inferiorum iuuantur magis partes, quæ circa thoracē sunt, & aeris caliditatem, & frigiditatem fugiat: sed quia in primis debemus sedare dolorem; dolor.n. ipse dissoluit uirtutem, & prohibet mēbra à suis operationibus naturalibus: Quapropter ad mãmillas fiãt infrascriptæ fomentationes pro sedatione doloris ℞. uini rubri, lib.s. olei rosati omphacini, aceti an. unc. ʒ. aquæ fontis lib. I. misce, & lento igne in uase æneo parum omnia calefiant, posteà cum spongia infusa & benè compressa stomacho ieiuno s.a. fiant fomentationes ad mammillas bis in die per horam unã, antè cibum: Aut lentes aqua marina, uel muria, coquito, & cum ipsa decoctione calida mammas abluito, & posteà lentes ipsas contusas, & in formam emplastri redactas, apponito, & si dolor etiam non sedabitur, tunc ℞. dactylorum contusorum, numero I O. pul. florum chamæmeli rosarũ rubrarũ, an. M. I. olei rosati completi unc. 2. sapæ q.s. ad incorporandũ misce, & fiat emplastrũ, & calidum apponatur, & perseuerante dolore, neq; ab adultis, neq; ab infante emulgere conuenit mammas dolentes nutricis: Nã ex ipsa emulsione plus materiæ attrahitur ad locũ affectũ. Posteà si abundãtiã lactis cõstringere uolueris emplastrũ infrà descriptũ, ad mãmas appone, ℞. aluminis unc. 4. psyllij coriãdrorũ an. unc. I s. portulacæ M. I. cõterẽda cõterãtur, deindè cũ oleo ros. omphacino, & aceto an. partes æquales q.s. ad incorporãdũ misce, et s.a. fiat emplastrũ, & apponatur, uel alio modo, ℞. lapidis pyritis cõtriti lib.s. aceti fortiss olei ros. omphacini an. unc. ʒ. misce, et apponãtur, et si his peractis, tumor,

Gal. de san. tuen. cap. 3.

Auic. I. Fen. 2. doct. 3. c. 22.

MEDICAMENTORVM RATIO.

Aetius 4. c. 6

Paul. ægin. lib. 3 cap 3 I ex auth. serani.

tumor, uel durities mammarũ non tollatur, (abundantia enim lactis, hac uictus ratione seruata, statim primo, uel in secundo die diminui solet) cataplasma infrà notatum appone, R. summitatum petroselini, fœniculi, mentæ, foliorum caulium an. M. S. incidãtur omnia parumper, deindè in mortario cum medulla unius panis frumentacei, optimè contundantur, & adde pinguedinis anseris recentis unc. 4. mellis q. s. ad incorporandum misce, & fiat cataplasma, & calidum apponatur. Verum post sedationem doloris à peritis mulieribus, uel à semetipsa quotidiè mammæ nutricis leniter exugantur. Posteà etsi expedit hoc in morbo, sectionem uenæ adhibere, ea tamen in nutrice, quæ lactare uult, prohibenda est, quia exterminat lac.

Aetius lib. 16. cap. 34.

DE RIMIS PAPILLARVM NVTRICIS.

CAP. X.

DEFINITIO MORBI.

INTER Morbos, qui ualdè papillas mammarum nutricis infestant, sunt rimæ, quæ nihil aliud sunt, quàm paruæ scissuræ ipsarum pupillarum, & ægrotatio ipsa, græco nomine diaphia dicitur, & ut plurimum in muliere, quæ paulò antè peperit, & lactare incipit, generatur. Et sæpè causam, & originem trahit ab exiccante acrimonia, & mordacitate humorum contentorum in ipso lacte, uel à mala complexione sicca totius corporis, & hoc raro euenit, nihilominus si à mala complexione totius sicca proueniant ipsæ rimæ, macies per uniuersum corpus apparebit, & tùnc, cum ipse morbus indicet diuturnitatem, & indigeat humectatione, & tempus hu-

CAVSA.

SIGNA.

mectan

mectandi sit longum, & ipsa complexio in hæcticam facilè conuertatur, hic de ipso pertractare non opus est, sed alia nutrix lactet infantem. Si uerò ex ipsa humorum acrimonia fiant, apparebunt fissuræ ipsæ, sinè tumore, & tensione ab ipsa tantummodo qualitate sicca humorum ortæ; causa enim omniũ fissurarum est siccitas, in cute adeò donec scindatur, & illa siccitas, aut propter complexionem singularem, aut propter malitiam humorum mittentium materiam exsiccantem acutam. Et cum ipsa ægritudo sit multi tædij, & doloris causa, adeò ut cum infans papillam in ore suscipit, dolores acutissimi excitentur; propterea ubi recentes fuerint, confestim eas curare tentandum est; Nàm cùm prorogatur earum cura, indurantur, & fiunt callosæ, & diuturniores, adeò ut chirurgiam adhibere oporteat, & aliquandò in ulcera cancrosa conuertantur. In primis igitur aer inclinet ad humidum magis, quàm ad siccum, & in caliditate temperatum, somnus conuenit longior solito, & ab exercitatione uacet. Victus humidus conuenit, ut liquida ueluti cremor ptisanæ, & pinguia, seù glutinosa, & facilis concoctionis, ut sunt carnes elixæ gallinarum, pullorum, uitulorum, hædorum, agnorum, ueruecum, auium aquatiliũ, & præcipuè earum iura pinguia; Inter olera comedere poterit maluam, spinachiam, boraginem, & endiuiam, oua recentia, & sorbilia, & reliqui cibi exhibeantur cum butyro, uel adipe anseris, aut gallinæ, aut oleo amigdalarum dulcium parati. Inter fructus, poma dulcia, mala cidonia, & pyra cocta comedere poterit. Bibat uinum tenue album, quod non sustineat aquæ mistionem; Euitet in cibo omnia acria, aspera, salsa, mordacia, astringentia, cruda, & sicca, uel quæ nimia cali-

Auic. 4. Fen. 7. trac. 3. c. 5.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MED. RATIO. ditate, aut frigiditate siccitatem generant. Ad diminuendam verò abundantiam acrimoniæ, & humoris serositatem, suscipiat infrascriptum bolum, per horam vnam ante cibum, R. casiæ nuper extractæ ℨ. x. diacatholicon ℨ. 2. misce, & cum saccaro. f. b. vel alio modo in forma potabili, R. Syrupi rosati solutiui vnc. 4. decoctionis maluarum. q. s. ad dissoluendum misce, & fiat potio; vel pro diuitibus alio modo; R. mannæ electæ masticinæ vnc. 3. decoctionis prædictæ. q. s. ad dissoluendum misce, & f. p. vel R. reubarbari electi, & mundi in puluerem resoluti. ℨ. 1. saccari rosati vnc. s. misce, & cum sacchara f. b. Verùm in illo die, in quo suscipit potionem, vel bolum ipsum, alia nutrix lactet infantem; sequenti autem die inungat papillas oleo balsamino, aut è luteis ouorum tepido, vel pomata, vel adipe hircino, vel succo aparinæ; vel alio modo, R. mellis, butyri recentis, olei amygdalarum dulcium an. vnc. s. misce, & simul omnia optimè conquassentur; postea inunge, vel R. olei rosati completi. vnc. 3. & in mortario plumbeo infundito, & cum pistillo plumbeo terito, donec oleum crassum, & subnigrum reddatur, & ex ipso quotidiè bis, vel ter inunge papillas ipsas?

DE LACTE NIMIS CRASSO.

CAP. XI.

SI Nutrix lac habeat nimis crassum hic affectus dicitur a latinis lactis concretio pituitosa, quæ generatur aliquando propter otium, aliquando propter ambientem aerem, aliquandò propter cibum, et potum crassæ substantiæ, vel propter rationem temperamenti; Et percipitur ex signis istis; tum ex diffi-

DEFINITIO MORBI. CAVSAE. SIGNA.

difficultate digestionis, & excretionis per ventrem infantis, & excessu in crassitie ipsius lactis, tum etiam ex consistentia ipsius, vt percipitur visu, si de ipso super vnguem mulgeas guttam, quæ si fluit est subtile, si verò vnguis inclinetur, & non currat est crassum. Et de parte prognostica sciendum est infanti aliquando ex difficultate digestionis, & excretionis ipsius alimenti nimis crassi per ventrem accidere cruditatem humorum, & abũdantiam eorum, & conuersionem in casei substantiam lactis ipsi nutrici, ex qua postea infantes facillimè incurrunt in perniciosas ægritudines. Crassus enim lac abscessus, & furunculos circà infantis corpus generat. Nutrix igitur degat in aere calido, & sicco, & accipiat cibum digestibilem, & qui modicè nutrire possit, cuiusmodi sunt carnes vitulinæ, & pullorum gallinaceorum, & hædorum, & similium elixæ, Bibat vinum aqua temperatum, vel paucarũ virium, & moderatè; Euitet carnes porcinas, bouinas, & omnia caseosa, unctuosa, acria, & acetosa, legumina, pultes, oua elixa, & præcipuè dura. Et inter olera comedere poterit lactucam, spinachiam atriplicem; Etenim boni, maliq; succi in medio sunt, hyssopumq;, petroselinum, fœniculum, mentam, & cichoream, & radices raphani. Ex fructibus comedat nuces, amygdalas, & auellanas, & temperato vtatur exercitio, & præcipuè deambulando, exercitatione enim inferiorum iuuantur partes pectoris, & non dormiat in die post cibum, sed noctu vtatur somno temperato, & præstat quotidiè in manè bis, aut ter, prius manibus proprijs, aut ore alieno, aut proprio cũ illo vitreo instrumẽto; capite, de imminutione lactis, delineato, nõ aũt ab alumno emulgere mãmas, posteà papillã infanti tribuere,

Auic. 1. f. 3. doc. 1 cap. 2.

Aetius 4. ca. 5.

PROGNOSTICA.

Aetius 4. ca. 6.

VICTVS RATIO.

Gal. de fuc. bonit. & uit. cap. 8.

Gal. 5. de fanit. tuen. cap. 3.

ut crassities eius, sic per ipsam emulsionem euacuetur, & lacte in melius purgato nutriatur infans, donec ad aequalitatem substantia ipsius lactis reducatur. Praeterea pro ut nobis indicat morbus ad calefaciendum, & attenuandum, quotidie mane sumat per septem dies continuos hunc syrupum in diluculo, & post assumptionem ipsius per horam dormiat. R. oximellis simplicis unc. 1. s. decoctionis infrascriptae unc. 3. misce pro uno syrupo, & sic pro alijs R. hyssopi, mentastri, origani, pulegij, cichoreae an. M. 1. seminum anisorum drag. 3. bulliant omnia simul in s. q. aquae usq; ad tertias, posteà. s. a. coletur & colatura usui seruetur in uase uitreo cooperto, ad diluendū syrupum, & illud attendant studiosi, in praemissam uictus rationem, tantummodò per septem dies continuos seruabunt, sine alijs remedijs localibus, lac facilè reducēt ad aequalitatem. Verùm si in his diebus non euenerit aequalitas, dicente Galeno, quòd in uitioso lacte debemus semper sanguinem contemplari; & si pituitosus est, medicamenta requirit, excalefacientia, aut primo, aut secundo ordine, non tamen desiccantia. Laudo igitur post assumptionem ipsorum syruporum, ut exhibeatur nutrici per horam unam, antè cibum, bolus iste. R. electuarij lenitiui, drag. 10. agarici praeparati drag. 2. misce, & cū saccharo f. b. uel alio modo, per horas tres antè cibum, R. reubarbari electi, & mundi, in puluerem redacti drag. 1 agarici trochiscati drag. 1. sacchari rosati unc. 1. misce & f. b. uel in forma potionis, R. syrupi rosati solutiui unc 3. agarici praeparati drag 2. decoctionis florum, et fructuum cordialium q. s. ad dissoluendum misce, & f. p.

MEDICAMENT. RATIO.

Galen. 5. de simpl. med. fac. cap. 21.

DE LACTE NIMIS AQVOSO.

CAP. XII.

ETSI contigerit ex continuis, & uehementibus exercitationibus, et laboribus attenuantibus, uel ex cibis calidis, ex aromatibus, salsamentis, uel ex subtiliatiuis, uel lubricis, uel ab ambiente aere, uel à prædominio ipsius temperamenti, lac ipsum fieri nimis aquosum, ægritudo ipsa, uocatur, lactis fusio biliosa, à qua sumitur indicatio, prò ut signa indicabunt ex macie infantis, ex pluribus excretionibus biliosis cum mordacitate per uentrem, & per urinam citrinam, & ex fluxione lactis guttæ, super unguem positæ, tùnc quoniam periculum est, nè infans ex ipso lacte ducatur, uel ad febrem bilosam, uel ad dysenteriam, uel lienteriam, uel si acrius fiat lac, appetitus deficiat, & pustulæ acerrimæ in corpore fiant alterius nutricis lac exhibeatur infanti. Quoniam autem Galenus ait, ipsum sanguinem in uitioso lacte contemplari oportere, & si est biliosus primam purgationem desiderat mox uictum: propterea in primis capiat hunc bolum, manè per horam unam ante cibũ ℞ electuarij lenitiui drag. 9. diacatholicon drag. 3. misce, & cum saccharo f.b. uel alio modo in forma potabili, ℞. syrupi de pluribus infusionibus rosarum ℥nc. 3. diacatholicon drag. 4. aquæ endiuiæ q.s. ad dissoluendum misce, & f.p. Posteà per dies septem continuos quotidiè in diluculo capiat loco syrupi cremoris ptisanæ cyathum unum, cum iure carnium dissoluti; Et si opus fuerit, etiam post assumptionem ipsius ptisanæ, exhibeatur bolus iste ℞. reubarbari electi, & mundi contriti drag. I. sacchari rossati ℥nc. s. misce, & cum saccharo q.s.

CAVSAE

DEFFINITIO MORBI.

SIGNA.

PROGNOSTICA. Aetius lib. 4. c. 6 Gal. 5. de simpl. med. fac. cap. 21.

MED. RATIO.

VICTVS RATIO. q. s. fiat bolus, & ipsum sumat per horas quinq; ante cibū. Quã tum attinet ad victus rationem, pro vt nobis affectio indicat, degat in aere potius declinante ad frigiditatem, quàm ad caliditatem ipsa nutrix, et ab exercitio remoueatur, et quiescat, & dormiat somnū longiorē solito; pro cibo panē comedat, sine sale elaboratū, & temperatè coctum, sed satis fermētatū, et carnes hædinas, uitulinas, ueruecinas, et bubulas etiã, et oua elixa; Bibat uinū dulce, mustū coctū, caueat postea ab aromatibus, à salsamentis a' fructibus fugacibus ab oleribus omnibus, præter lactucam, spinachiam, atriplicem, boraginem, maluam, petroselinum, & mentam; & ab his; quæ facilè conuertuntur in bilem, & sunt difficilis concoctionis, & mali succi. Vltimo loco, si erit necesse, inungantur mammillæ oleo lumbricorum terrestrium, & ab adultis, non autem ab infante exugendum est lac, nè in casei substantiam coalescat, vna uice tantumquaq; die, donec ad aliquam craßitiem, seù æqualitatem substantia ipsius lactis deueniat.

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 2.

DE PAVCO, VEL DIMINVTO LACTE NVTRICIS.

CAP. XIII.

SI verò contigerit lac paucum, vel diminutum esse, affectio hæc, dicitur lactis defectus, expedit, quoniam hic morbus magis infanti nocet, quàm nutrici, alterius lac exhibere, donec denuò abundet; postea considerandum est, si causa est in toto corpore nutricis; Lac. n. multiplicatur, multiplicatione boni sanguinis. Igitur hæc affectio erit necessario a diminuta boni sanguinis generatione, veluti ob qualitatem calidam,

DEFFINITIO MORBI. PROGNOSTICA. Auic. 3. f. 12. cap. 2. CAVSAE.

lidam,

lidam, vel frigidam, tùm à cibo, tùm ab aere, tùm à ratione temperamenti diminuentem, vel ob aliquam, immodicam, sanguinis, & aliorum humorum euacuationem praecedentem, uel a fluxu corporis, impediente boni sanguinis generationem, vel ob penuriam alimentorum, uel ob aliquam expergefactionem. Praetereà illud attendendum est, si diminutionis causa ipsa est tantummodò in mammillis ipsius nutricis, vel si adest in vna tantum, vel in ambabus; Quippè si erit in vna tantum, alterius mammillae lac exhiberi poterit, donec altera curetur; si verò erit in ambabus, tùnc remedijs localibus erit vtendum, secundum rationem morbi, loci, & temporis, prout signa ex visu, & tactu indicabunt, & vt docetur in arte chirurgica. Nam vt plurimum morbi mammas infestantes ad ipsam chirurgiam pertinent, de quibus nunc mihi non est scribendum. SIGNA.

DE LACTE IMMINVTO A QVALITATE CALIDA. CAP. XIIII.

IMMINVTIO Lactis a mala intemperie totius corporis calida, à qua sumitur indicatio istius affectionis, & quae percipitur a macie, & à colore, vel citrino, vel pallido nutricis, & ab excrementis biliosis, & amaritudine ipsius lactis, tùnc ipsa nutrix degat in aere temperatae frigiditatis, si tamen hoc toleret anni tempus, & quiescat, & exercitatione vacet, caueat ab aromatibus, a salitis cibis, ab acribus, ab allio, à porris, à caepis, à fructibus horarijs, siuè fugacibus, quia facile putrescunt, & conuertuntur in bilem. SIGNA. VICTVS RATIO.

bilem, & ab omnibus calefacientibus, & crudis, & difficilis concoctionis; Et cibum consuetudine leuiorem capiat ex carnibus boni succi, & facilis concoctionis, & in iure carnium coctam comedat lactucam, spinachiam, cucurbitam, atriplicem, portulacam, & semina earum, panem comedat sine sale benè fermentatum, & optimè coctum; Bibat iura carnium, uel aquam cum seminibus anisorum, uel coriandrorum coctam; Aluus exoneretur quotidiè, uel spontè, uel arte, alternis diebus, cum clystere communi descripto in capitulo 8. ad quem habeatur relatio, & quotidiè manè, loco syrupi, sumat sequens

MEDIC. RATIO. decoctum, per dies septem continuos, & etiam per quindecim dies, si opus fuerit, donec abundet lac R. radicum petroselini, foliorum lactucæ, scariolæ, spinachiæ, atriplicis, mētæ, endiuiæ, ordei mundi an. M.s. seminum anisorum drag. 3. bulliant omnia simul in s.q. aquæ usq; ad tertias, posteà colentur, & in uase uitreo cooperto seruetur ipsa decoctio, de qua, pro quaq; uice sumat uncias sex in diluculo, et statim per horam dormiat, et si opus fuerit, fiat ipsa decoctio dulcis, ut stomachum aliquandò delectet, uel modico sacchARo, uel cum iulep uiolato q.s. posteà ut (si corpus plethoricum sit) aliquid materiæ detrahatur, post assumptionem decoctorum præmissorum septem, sumat bolum cassiæ, uel potionem mannæ, uel syrupum ex pluribus infusionibus rosarum hoc modo paratum. R. cassiæ recenter extractæ drag. 10. electuarij de sebesten drag. 2 pulueris anisorum drag 2. misce, & cum sacchARo f. b. & exhibeatur matutino tempore per horam unam antè cibum, uel R. mannæ electæ masticinæ unc. 3. & cum decoctione suprascripta q.s. misce, & f. p. uel alio modo R. syrupi ex pluribus infusionibus

bus rosarum, unc. 3. diacatholicon drag. 4. decoctionis prae ordinatae q. s. ad dissoluendum misce, & f. p. & exhibeatur per horas tres, antè cibum, Et à proprietate in omni extermi- natione, aut diminutione lactis, laudo ut nutrix ubera ouiũ, uel caprarum, cum ipso lacte comedat. Et Aetius dicit bi- bat zytum, & eadem die mammillae lacte replebuntur. & zytum ipsum nihil aliud est, quàm potus ex ordeo aqua re- soluto.

Auic. 1. f. 3. doc. 1 cap. 2.

Aetius 4. ca. 6.

DE DIMINVTIONE LACTIS A' QVALITATE FRIGIDA. CAP. XV.

SI signa prout crassities, & albedo totius corporis, & ex- crementa decolorata, & pituitosa indicabunt causam de- fectus lactis esse à materia frigida, à qua sumitur istius af- fectionis indicatio, tunc alienum lac praebere infanti necesse est, & ab adultis exugendae saepè sunt mammae, ut lac facile redeat, & abundet; deindè eligatur aer ad caliditatem uer- gens, & nutrix exerceat se in aliquo opere faciundo, & prae- sertim cum partibus supernis, ut lac digestum facilius exeat; Bibat uinum album, satis maturum, sed paucarum uirium, & cibis utatur boni succi, & facilis concoctionis, cum oleri- bus aperitiuis, ueluti semina, radices, & summitates foeniculi, anethi, nigellae, & petroselini. Aluus lubrica sit, & quotidiè euacuetur à foecibus, uel spontè, uel arte, alternis diebus, cly- stere communi, in capitulo octauo huiusce libri, descripto, ad quem se conferre poterit; Et in diluculo sumat quotidiè per dies septem, inferius scriptum decoctum, loco syrupi. R semi-

SIGNA.

VICTVS RATIO.

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 2.

MEDIC. RATIO.

num anethi, anisorum, fœnu græci, porri an. vnc. I summitatum fœniculi, anethi, mentæ, radicum petroselini, melanthij, seu nigellæ an. M. I. bulliant omnia, prius incisa parum per, & semina parum contusa, in s.q. aquæ usq; ad tertias postea coletur, & fiat expressio; deindè cum sacchuro q. s. iterũ bulliat unica leui ebullitione & s.a. fiat decoctio, & in uase uitreo cooperto seruetur; cuius decoctionis sumat singulis diebus, mane vnc. 6. posteà si lac non abundauerit, applicentur uentosæ, sinè scarificatione, sub mammillis, absq; multa compressione, deindè si opus fuerit, expedit bis in die per horã unã, ante cibum facere fomentationes ad mammillas cum spungia infusa in decoctione ista ℞. florum chamæmeli, rosarum, mentæ, meliloti, pulegij, thymi, anethi, an. M. I. seminum lini anisorum, fœnugræci an. drag. 2. bulliant simul in s.q. uini albi, posteà s.a. fiant fomentationes ad ipsas mammas, & statim post ipsas fomentationes inungãtur mammæ oleis istis calidis, ℞. olei nardini, chamæmelini, lumbricorum terrestrium an. vnc. I. misce, & moderatè calidis inunge; ultimo loco, si opus fuerit, fiant etiam ad ipsas mammillas fricationes leniter. A proprietate uerò quidam experti sunt puluerem uermium terrestrium, in uino albo per nonnullos dies continuos sumptum, & repererunt remedium optimum. Laudatur etiam à proprietate sisamum tritum, uel raphanum cum uino sumptum. Prætereà commendat Aetius à proprietate lapidem galactitem prò amuleto ad alligatum, uel in iure pulli, uel in uino dissolutum, & potatum. Existente uerò corpore plethorico, uel cachochymo, laudo, ut mediocriter expurgetur medicina benedicta, ut natura à plenitudine, & multitudine humorũ

Auic. I. f. 3. doc. I. cap. 2.

Auic. I. f. 3. doc. I. cap. 2.

Aetius lib. 16. cap. 33.

suble

subleuata, possit facilius abundare lacte. Propterà post assumptionem decoctorum præmissorum septē, sumat hunc bolum ℞. electuarij lenitiui drag. 10. agarici præparati drag. 2. misce, & cum saccharo f. b. uel alio modo in forma potabili; Decoctionis florum, & fructuum cordialium q. s. misce et f. p. uel ℞. reubarbari electi, et mundi, in puluerem resoluti, drag. 1. spicæ grana ℥. contritæ subtiliter, agarici præparati drag. 1. sacchari rosati unc. 1. misce, & cum saccharo q. s. f. b. & exhibeatur per horas quinque antè cibum, manè; Vbi uerò ob aliquam sanguinis immodicam euacuationem lactis imminutio prouenerit, indiget sola uictus ratione boni succi humectante, & excalfaciente. Gal. 5. de simpl. med. fac. cap. 2.

DE LACTE IMMINVTO PROPTER NIMIAM LVBRICITATEM ALVI CAP. XVI.

VBI Defectus lactis euenerit propter nimiam lubricitatem alui, citrà cruentas deiectiones, & citrà febrem, cerebri, uentriculi, iecinoris, & intestinorum imbecillitatem, & breuiter citrà symptomaticam excretionem. Etenim de his morbis, cum ipsis symptomatibus coniunctis, in quibus nutrix infanti præbere lac non potest, nec debet, nec breui tempore præbitura est; non sum scripturus; sed tantummodò de alui profluuio à multitudine malorum humorum in corpore nutricis contentorum pertractabo. DEFINITIO. Id autem græcè dicitur Διαῤῥοια, & originem trahit, uel ab otio, uel à prætermissa exercitatione, uel etiam à copia ci- CAVSAE.

borum, & potuum ingestorum à bile, uel à pituita excitato-
SIGNA. rum, ut signa in excrementis indicabunt; si à bile crocea, &
biliosa sine mora exibunt, si à pituita alba, & pituitosa. Pro-
Hip. 1. aphorum 20. pterea dicente Hippocrate, quæ iudicantur, & iudicata sunt,
integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid oportet, siue medica-
mentis, siue aliter irritando, sed sinere oportet. Tota igitur
curatio naturæ permittenda est; Et tantummodo uictus ra-
tionem s. a. instituere; sic enim purgatur corpus. Verùm si
Gal. 1. ad glauc. c. 14. profluuium ipsum in termino dierum septem integrè nec iudi
catur, nec iudicatum est; ad id, quod deficit, supplere conue-
nit, quia spatium, & perseuerantia ipsius periculosa est. Ete-
PROGNOSTICA. nim aliquando tormina, & febres excitat, & uires absumit;
transactis igitur diebus sex, uel septem, si adhuc perseueret
profluuiũ cum signis biliosis a quibus sumitur indicatio istius
VICTVS RATIO. morbi, uictus ratio instituenda erit, hoc pacto. In primis eli-
gatur aer potius ad frigidum, & siccum, quàm ad calidum,
& humidum uergens, somni sint longiores solito in nocte, &
Aetius lib. 9 cap. 51. caueat a diurnis, simplices fricationes conueniunt in hoc gene-
re morbi, propterea suppleant loco exercitationis, comedat pa-
nem benè fermentatum, & optimè elaboratum, & coctum,
& fercula in iure pedum uitulorum, et capitum castratorum
ex chondro, oryza, & halica cum malocidonio, uel mespilo, uel
tragacantha in panniculo inuoluta, decocta, & citrà carnes
prædictas comedere etiam poterit, carnes capreolorum, leporũ,
& pullorum gallinaceorum, & uitellos ouorum assos, & ace
to intinctos, & in primo cibo confectiones ex cornis, sorbis,
mespilis, & diacydonitem, sinè speciebus conueniunt; Bibat
uinum tenuè, aquosum, nigrum, & astringens, sed bibat pau

cum, multus enim potus facit supernatare cibum in stomacho, & alui profluuijs infestissimus existit, conuenit etiam lac ouillum, & caprinum in quo lapides igniti extincti sint, parũper calefactum, tùm in potione sumptum, tùm in clysterijs. At ijs non obstantibus, perseuerante profluuio sumat per septem dies continuos, si opus fuerit, syrupum hunc in diluculo ℞. syrupi de myrto, de endiuia, miuæ cydoneorum an. unc. s. aquarum plãtaginis, endiuiæ, an. unc. 1. s. misce pro uno syrupo, & sic pro alijs. Nec non quotidiè inungatur uenter totus oleis istis, ℞. olei de cydonijs, de myrto an. unc. 1. misce, & calidis inunge bis in die, per horam unam ante cibum, ueluti dictum est; Et emplastrum de diaphenicon moderatè calidum q. s. stomacho applicetur. Prætereà, si opus fuerit, etiam post assumptionem ipsorum syruporum, laudo ut capiat per duos, aut tres dies continuos, uel alternis diebus, si uires sunt imbecillæ, bolum hunc ℞. reubarbari electi, et mundi, contriti drag. s. sacchari rosati unc. s. misce, & f. b. & hoc, manè, horis quinque, ante cibum. Porrò si à pituitosa materia proueniet alui fluor. tùnc uictus ratio uergat ad calidum, & siccum, & inunctio uentris fiat hoc pacto ℞. olei de mẽta, de absinthio, de cydonijs, an. unc. 1. misce, & calidis inunge; Et syrupus sic instituatur. ℞. syrupi de rosis siccis, de menta, miuæ cydoneorum an. unc. s. pulueris spodij drag. 1. aquarum mentæ, absyntij an. unc. 1. s. misce pro syrupo, & post assumptionem syruporum quinque, euacuetur humor, peccans modo præscripto, posteà manè, & uespere antè cibum, sicut ego sæpissimè expertus sum, ad constringendum tantũ, quotidiè sumat per tres, uel quatuor dies unam ex istis pilulis ℞.

Aetius lib. 9 cap. 49.

MEDIC. RATIO.

trochiscorum de carabe, trochiscorum de spodio, cum seminibus acetosæ, suffuf de granis myrti, descript. Mesue an. scrup. I. s. conterantur omnia subtiliter, posteà cum miua cydoneorum, reformentur pillulæ quinq;, & inaurentur; uel unam ex istis alijs quotidiè sumat; R. pulueris reubarbari, agarici, an. drag. s. misce, & cum miua cydoniorum reformentur p. 3. & inaurentur.

DE IMMINVTIONE LACTIS OB PENVRIAM. CAP. XVII.

SIGNA. QVANDO ob penuriam alimentorum fit imminutio lactis, indicatio manifesta est, ex macie ipsius nutricis; propterea tùnc infanti (Etenim, ex emulsione frequenti mãmarum magis lac exsiccatur, & uires nutricis magis debilitantur) lac alienum exhibeatur, & nutrici alimentum boni succi, & facilis concoctionis præbere debemus, id uerò paulatim facere oportet. Nam plurimum, atq; repente replere periculosum; quoniam omne nimium est naturæ inimicum, & præcipuè cum uires sunt imbecilles, sed quod paulatim fit, tutum est. Et laudo ut quotidiè in mane sumat cremorem ptisanæ, in iure carnium decoctum, loco syrupi per quatuordecim dies continuos, & post eius assumptionem per horam dormiat, & fiant fricationes lento modo, quotidiè per totum corpus stomacho ieiuno: Et aluus, uel sponte, uel arte clystere communi exoneretur, & mundetur à fæcibus, & in aere moderatæ caliditatis degat, uitans ambientis frigiditatem, & à caloribus, & exercitatione uacet. & dormiat longiorem con-


PROGNOSTICA.

Hip. 2. apho. 51.

VICTVS RATIO.

suetu

suetudine somnum, uitans diurnum; Et ne lac in totum nutrix deperdat ab aliis, uel a semetipsa, cum quodam uitreo, & paruo instrumento, gratia huiusce emulsionis facto ut in Italia fit, in eius osculo prius papilla mamillæ immissa, & eius fistula ore proprio suscepta poterit bis quotidiè emulgere mammas, donec lac facilius abundet: cuius forma ad claram omnium intelligentiam hic delineata apparet.



DE LACTE OB ALIQVEM TERROREM DEPERDITO VEL IMMINVTO. CAP. XVIII.

SI per somnum, uel per tonitruum, uel per terræmotum, uel per casum, uel per armorum strepitus aliquo modo expergefacta, uel ut dicitur græcè ἐξυπνιασθεῖς, nutrix lac deperdat, uel imminutum habeat, statim exerceat se bra CAVSAE. MEDIC. RATIO.

brachijs, & manibus ualide; Posteà mammillæ fricentur, & sub ipsis uentosæ applicentur, sinè scarificatione, & fomententur fomentationibus, & inunctionibus, assignatis in capitulo, de diminutione lactis à qualitate frigida, ad quod reuertatur; & exhibeatur ei cyathus unus uini maluatici, cum modico pane, in ipsò madefacto, & prius ingesto, quia uinum optimum, generosumq; lætificat cor nostrum. Deindè si fieri poterit, urgente necessitate, nutrix omni ingenio à mærore subleuetur, uel musico concentu, & harmonia, uel colloquijs, uel iucundis spectris, uel spe aliqua. Nàm Galenus ait, multos sola lætitia morbos euasisse; posteà uero infans ad lactandum applicetur ad mammas: lac enim per terrorem ipsum cōstrictum reddetur. Nec non exhibere etiam potest electuarij lætitiæ Galeni drag. I. cum uino maluatico, uel iure pulli sumptam, pro una uice tantum.

Gal. de par. pil. exerc. c. 1

DE COAGVLATIONE LACTIS IN CASEI SVBSTANTIAM. CAP. XIX.

COAGVLATIO Lactis in substantiam casei, cum nil aliud sit, quàm seiunctio crassæ substantiæ à seræ lactis; Etsi dicat Auicenna, quandoq; lac coagulatur in casei naturam, in mammilla propter caliditatem exsiccatiuam, & quādoq; etiam propter frigiditatem congelatiuam: nihilominus mea quidem sententia, coagulatio ipsa, tantummodò fit à caliditate; Etenim ut ipsum lac coaguletur, opus est, ut pars serosa segregetur, & separatio ipsa necesse est, ut fiat à caliditate, ut testatur Galenus; Propterea sequitur non à frigi-

DEFINITIO MORBI.
Auic. 3. f. 12. cap. 4.

CAVSA.

Gal. 3. de alim. fac. cap. 16.

ditate fieri coagulationem, lac uero in grumos congelatum, uel concretum benè fieri potest ab intemperie frigida; At non coagulatio ipsa in casei substantiam. Causæ igitur tantummodò erunt a caliditate, a qua sumitur indicatio, prout ab aere ambiente, uel a corporis temperamento, uel a ratione uictus præterita, ueluti ex cibis calidis, cum aromatibus copiosis, & ex salsamentis, & similibus. Signum erit, si emulseris mammas, & lac concretum sit, & difficulter exeat, & ex difficultate digestionis in infante, & excretionis per uentrem. Tùnc, quia, si statim caseatum lac non curatur. generat apostema in ipsis mammis, & exulcerationes. Et quoniam lac uitiatum est, alia nutrix lactet infantem, & intereà ab aliqua muliere adulta, quotidiè emulgeantur mammæ nutricis bis, uel ter in die, ut lac exeat, & sic facilius fiat resolutio coagulationis. Deindè electo aere, magis ad frigidum, quàm ad calidum declinante, parùm exerceat se nutrix, tàm cum inferioribus, quàm cum superioribus partibus ad adiuuandum concoctionem, & nutrimenti distributionem per totum corpus. caueat a somno diurno, dormiat in nocte breuiorem somnum solito, Bibat aquam, uel cum seminibus coriandrorum, uel anisorum coctam, uel cum pauco cinnamomo, comedat cibos boni succi, & facilis concoctionis, cuiusmodi sunt carnes uituli, ueruecis, pulli parui gallinacei, & auium terrestrium; caueat ab acribus, ab aromatibus, a caseosis, a salsamentis, ab acetosis, a fructibus fugacibus, & ab omnibus oleribus, & præcipuè calefacientibus, & a leguminibus. Verùm enimuerò quia in quocunque morbo semper adest, quod fit, & quod factū est; propterea ad prohibendam coagulationem, quæ fit R.

CAVSAE.

SIGNVM.

Gal 3 de alim. fac. cap. 16.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MEDIC. RATIO.

est; propterea ad prohibendam coagulationem, quæ fit. ℞. olei de menta, de chamæmelo, rosati an. unc. 1. misce. & ex ipsis oleis tepidis mammæ inungantur bis in die, antè cibum, per horas duas; uel ℞. olei anethini, rutæ, cyprini, an. unc. ß. misce, & in mortario plumbeo ducantur, donec. s. a. fiat linimentum, & inunge, uel alio modo, ℞. foliorum mentæ, subtiliter in puluerem resolutorum, seminum coriandrorum contritorum, an. ʒ. 2. olei rosati unc. 1. ceræ liquefactæ q. s. misce, & s. a. fiat linimentum. Ad resoluendam verò ipsam casei substantiam, quæ facta est. ℞. aceti fortißimi, olei rosati, succi apij, succi foenugræci, coaguli leporini an. unc. ß. croci ʒ. 1. misce, & omnia simul benè conquassentur; posteà inunge. Et si ijs peractis, ipsius casei coagulatio nõ resoluetur, applicetur cataplasma hoc propè scriptum, ℞. foliorum solatri, apij, caulium, an. M. ß. omnia parum admodum incidantur, postea in mortario optimè contundantur; & adde pulueris myrrhæ, pulueris rosarum, pulueris ireos an. ʒ. 2. croci. ʒ. 1. olei de ruta unc. 1. aceti fortißimi q. s. ad incorporandum misce, & s. a. fiat emplastrum & applicetur bis, uel ter in die, si opus fuerit.

DE CONGELATIONE LACTIS IN GRVMOS.

CAP. XX.

DEFINITIO MORBI. IN Grumos congelatio lactis est illa affectio, quæ uocatur astrictio uniuersæ lactis substantiæ simul in grumos coactæ. CAVSAE. Causæ uerò proueniunt a mala uictus ratione frigida, a qua sumitur indicatio, ut in præcedenti capitulo di-

ctum

ctum est; ueluti ex potionibus, & cibis crassis, & infrigidantibus, vel acetosis, acribusq́; vel ex dormitione in locis frigidis, vel a corporis temperamento, vel ab aere ambiente, & cum lac vitiatum sit, alia nutrix lactet infantem, etenim lac ipsum facit obstructionem, & aquam intèr cutem, & febrem. Apparebunt signa, tùm ex difficultate egressionis ipsius lactis congelati, tùm etiam ex difficultate digestionis, & alui excretionis in infante. Igitur in primis aer temperatè calidus eligatur, & nutrix utatur exercitatione manè, & vespere, antè cibum deambulando, vel manibus se exercendo in aliquo opere, prout dictum est in capitulo proprio huiusce libri. Aluus mundetur quotidiè ab excrementis, vel spontè, vel arte, dormiat longiorem somnum consuetudine, & caueat a diurno; caueat etiam a cibis, uel potionibus frigidis, crassis, crudis, acribus, acetosis, & præcipuè ab ijs, qui sunt difficilis concoctionis, & mali succi; Bibat vinum album, tenue, & satis maturum; comedat panem benè elaboratum cum seminibus anisorum, uel foeniculi coctum, & carnes, quæ sunt facilis concoctionis, & boni succi, coctas cum radicibus hyeme, & cum summitatibus æstate fœniculi, petroselini, & mentæ. Posteà ad resoluendam grumosam ipsam congelationem superfusio mammillarum, cum aqua calida, uel oleo dulci calido mirum in modum confert. Deindè fiant fomentationes cum spongia ad ipsas mammas, bis in die, per horam unam antè cibum, ea ratione qua descripta est in capitulo decimo quarto huiusce libri, & statim fiant inunctiones oleis istis calidis. ℞.

PROGNOSTICA.

SIGNA.

Gal. 3. de alim. fac. cap. 15.

VICTVS RATIO.

MEDIC. RATIO.

olei de lilio, de costo, anethino an. unc. 1. misce, & calidis inungantur mammæ post fomentationes, & applicetur emplastrũ hoc; R. lentium decoctarum, muria, aut aqua marina, & in mortario benè contusarum, lib. 1. croci drag. 2. cumini decocti q. s. misce, & fiat emplastrum, & calidum applicetur, uel R. furfurum, farinæ ordei, erucæ siccæ, & puluerizatæ, fænugræci farinæ, farinæ seminum lini, anisorum, pulueris rutæ siccæ, misce, & omnia simul bulliant, in aceto acutissimo, unica leui ebullitione; posteà cum melle q. s. misce, & s. a. fiat emplastrum, & reiteretur ad mammas applicatio ipsius emplastri bis, aut ter in die, si opus fuerit. Vltimo loco exhibeatur leporini coaguli contriti, ad pondus unius drachmæ pro quaq; uice in uino optimo maluatico ipsi nutrici stomacho ieiuno, quoniam non solum lac, sed etiam concretum sanguinem in uentrem dissoluit. Nec non ore proprio, uel ab adultis bis in die emulgeantur mammæ, donec lac ad suam naturalem qualitatem redeat, posteà lactet infantem.

Aetius lib. 16. cap. 35.

Gal. 10. de simpl. med. fac. cap. de coagulo.

DE SVPPVRATIONE MAMMARVM.

CAP. XXI.

SI uerò mammæ ipsius nutricis, uel ad suppurationem, uel ad aliquam inflammationem deuenerint, tùnc curandæ sunt manu chirurgica, & quoniam aliquãdò inflammationes ipsæ sunt morbi diuturni, & difficilium curationum, propter humiditatem copiosam fluentem ad ipsas mammas, & etiam propter conuersionem earum in peiores morbos, propterea

reà

reà alia nutrix inuenienda est. Quamobrem de ipsis morbis hic non est scribendum, cum intentio mea sit tantummodò (ueluti dictum est cap. 7.) scribere de morbis, qui curari possint, lactante nutrice, uel lactatura infrà paucos dies, pro tuenda sanitate infantis. Etenim cum lac per multos dies, transit in cibum assuetum, infantis mutatio periculosa, & permolesta est. Præclarè .n. inquit Hippocrates, cibos uerò, quibus uti non consueuerunt, etiam si mali non fuerint, molestè ferunt, consimili modo, & potus. Hip. 2. de uict. 1. rat. acut. Propterea infantes primo lacte assueti difficilè ab altera nutrice lac emulgent, adeò ut interdum aliqui ab hac necessitate coacti fame pereunt.

DE RATIONE SICCANDI LAC POST ABLACTATIONEM INFANTIS.

CAP. XXII.

POSTQVAM Ablactatus fuerit infans, cum in mammis nutricum congregetur, & continuè multiplicetur lac, CAVSA. quod nisi statim emulgeatur, aut siccetur, dolores in ipsis mammis excitat, PROGNOSTICA. & aliquandò apostemata, & diffunditur per uniuersum corpus, & febres succendit. Propterea ipsius lactis siccandi rationem, quanquam ad infantis tuendam sanitatem non pertinet; nihilominus publicæ utilitatis gratia, hic docere non erit absurdum. In uictus igitur ratione conueniunt, quæ habent facultatem siccandi. VICTTVS RATIO. Vnde aer frigidus eligatur, laboriosa exercitatione utatur, & præcipuè cum partibus infernis, deambulando, aluum deijciat. Som-

nus

mus sit breuior solito. Vinum moderatè bibat subnigrum, & astringens; panem satis coctum, & carnes assas comedat. Vitet in cibo ea, quæ lactis generandi, & augendi uim habent, prout a nobis in libro hoc, capite. 3. antè ostensum est. Et si vt plurimum duobus, vel tribus diebus, sola victus ratio ad ipsius sufficiat exiccationem, nihilominus quia non semper sufficit, aliquid de ratione medicamentorum in medium afferre conueniens esse videtur; Quapropter in primis tèr, aut quatèr, si mammæ non doleant, (quoniam si dolent abstinere oportet) prima die manibus proprijs lac è mammis emulgeat; Secunda uerò die abstineat ab ipsa emulsione; Deindè oleo omphacino ipsa prima die mammas inungat; secunda autem oleo myrtino, & masticino admisto inungere prestat. Verum si hæc non sufficiant cataplasma hoc apponito. ℞. farinæ fabarum vnc. 2. pulueris foliorum myrti, mirrhæ, thuris, masticis an. drag. 2. albuminis ouorum duorum misce, & fiat cataplasma. Præterea si opus fuerit, vt tuto, & citius exsiccetur ipsum lac, in tempore veris, & æstatis hunc bolum nutrici exhibere poterit. ℞. caßiæ recentèr extractæ. drag. 10. diacatholicon. drag. 2. misce, & cum saccharo fiat b. vel fiat ex electuario lenitiuo, vel cum manna electa fiat potio, aut cum syrupo ex pluribus infusionibus rosarum, & similibus. In autumni uerò, uel hyemis tempestate exhibere poterit, horis quatuor antè cibum, pilulas istas, ℞. pilularum ex reubarbaro, & agarico Mesue an. scrup. 2. ß. misce, & cum melle rosato reformentur pi-

RATIO. MEDIC.

lulæ

lulæ 5. & inaurentur. Vlterius vrgente necessitate fiat missio sanguinis ex vena cubiti dextri interna, vel ex saphena sic enim statim siccabitur lac, & facilè prouocabuntur menses.



OMNIBONI FERRARII MEDICI AC PHILOSOPHI DE ARTE MEDICA INFANTIVM.

LIBER SECVNDVS.

DE ELECTIONE AERIS. CAP. I.



N Primis, quia aer est causa, sine qua uiuere non possumus, & ipsum optimum in pulmones attrahere, omnibus salubre est. Propterea eius nūc parua non habenda est ratio, & diligentia adhibenda, pro sanitate tuenda infantis. Iccirco optimum aerem (inquit Galenus) censeo, qui prorsus sit purus. Aer purus est, qui nec stagni, nec paludis halitu sit perturbatus, nec ex profundo specu pestilentem auram spirante infectus, nec qui ex cloacis, quæ magnam aliquam urbem, aut numerosum exercitum purgent, uitium contraxerit; nec qui ex animantium, & olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum nebulosus est, nec qui editis undiq; montibus in cauo loco clausus nullū recipit

Gal. 1. de sanit. tuē. c. 11.

recipit flatum. Si igitur infans natus sit, vel in ciuitate, vel in eius aliquo uico, vel ruri, vel in aliqua istis qualitatibus mali aeris infecta domo; tùnc in alium salubriorem aerem reducendus, & ibi educandus est, & semper in partibus superioribus domus a terra, & humiditate eleuatis collocandus, nisi aliud indicetur; Et cubiculum ipsius a parte septentrionis debet fenestras habere clausas, nàm aer septentrionis condensat corpus, & prohibet resolutionem, & exprimere cerebrum, & uentrem; & proptèr illud sequitur ophthalmia, & tußis; Rectè enim Hippocrates inquit. At si aquilonia fuerint, tusses, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Et a parte meridiei debent fenestræ, hyberno, autumnali, & diurno tempore reseratæ esse; tempore autem veris, & aliquando in æstate, (venti enim austrini eo in tempore ut plurimum flant) debent esse clausæ, quia proprietas venti australis facit dißolui humores, & ipsos facit ad profundum corporis fluere, & replere cerebrum vaporibus, vndè sequuntur scotomia, & vertigo, & scabies, & furunculi. Et Hippocrates dicit, austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. A parte uerò orientis, & occidentis quotidiè hyeme aperiantur fenestræ, manè orientales, & post meridiem occidentales, vt sol manè, & serò, tàm in ascendendo, quam in descendendo loci partes illuminare, calefacere, & exsiccare humiditates valeat. Quippè venti orientales, & occidentales comparatione meridionalium, & septentrionalium temperati sunt. Verùm si orientales venti in fine diei, & occidentales in principio flauerint, quoniam orientales

Auic. trac. 2. de rem. noc. acci. ex aere cap. pprio.

Hip. 3. apho rum. 1.

Auic. ibidē.

Hip. 3 apho. 3.

Auic. 1. f. doc. 2. cap. 8.

mané, & occidentales serò flare solent, cùm hoc sit contrà eorum naturam, tunc fenestræ claudendæ sunt. Et cùm dico, tempore hyemali fenestras reseratas esse debere, intelligendum est, ut tantum lux & caliditas penetrare poßit, non autem aeris frigiditas, & humiditas. Propterea tempore, quo imbres abundauerint, & præcipue hyeme, siccitates.n. imbribus salubriores sunt; Ignis iu cubiculo accendatur quotidie, et æstate ad euitandam intẽsißimam solis caliditatem, præter orientales fenestras, quæ quotidie debent summo mane aperiri, saltem per horas tres, & omnes aliæ claudi, post solis occasum; denuò aperiãtur saltẽ occidentales, & oriẽtales.

Hip. 3. aphorism. 11.

DE INFANTIVM AERE, QVI NON HABENT OPTIMVM TEMPERAMENTVM.

CAP. II.

CVM Verò corpora infantium non habent optimum temperamentum, & quibus præcipue ab aliqua ex quatuor qualitatibus humorum, vel simplici, vel composita prædominantur, tunc secundum earum qualitatem (si contraria contrarijs curantur) in aere cõtrario modo aduersari oportet. In quibus.n. infantibus aliqua exuperans qualitas dominatur, ijs vtilißimus aer est, qui ei qualitati maximè est aduersus, frigidus calidæ, calidus frigidæ, humidiori siccus, sicciori quã par est tantò humidior, quantò magis, siccitas ipsa modũ excesit. Et eodem modo etiam obseruare oportet in tempestatibus anni, ueluti in tempore æstatis, in quo aer, ut plurimum, calidisimus, & siccus est, in locis frigore opaco præditis, cubandus est infans, et in hyeme, & tempore frigidisimo in lo-

Gal. 5. de sanit. tuen. ca. 11.

cis calidis, & sic de singulis, eo modo semper conseruanda est ratio aeris, constitutionis corporis, & temporum tempestatũ.

DE INCISIONE VMBILICI.

CAP. III.

STATIM Cùm infans natus sanus est, quòd percipies, tũ si mater per totũ gestationis in utero tẽpus, sana uixerit, & si in terrã positus eiulatũ edit, cùm conueniente firmitate, tũ si in omnibus partibus, ac sensibus integer est. In primis igitur umbilicus acuto scalpro quatuor a uentre digitis resecetur, & prohibeatur, nè resectio fiat cũ arundinibus, aut uitris prout antiqui utebãtur, nè quid atteratur, et cõtẽtus in ipso sanguis grumosus exprimatur, et spongia detergatur. Deindè cũ lana ligari munda debet, quæ sit retorta parumpèr, & subtilitèr, ingeniose adeò nè doleat, uel talitèr nè lædat, et pannus, seu petia infusa in oleo, est super ipsum ponenda, & propter ipsius umbilici incisionem, præceperunt sapientes, ut venarum citrinarum, & sanguinis draconis, & sarcocollæ, & cymini, & vsneæ, & myrræ partes sumantur æquales, et tritæ umbilico superponantur cuminum inspergere super ipsius umbilici incisionẽ reprobãt, propter eius acrimoniam. Vltimo loco duplicatus ipse umbilicus, & lanæ inuolutus, lenitèr in medio cõponatur.

Auic. lib. 1. f. 3. doc. 1. ca. 1.

Auic. ibidẽ.

Aetius. lib. 4. cap. 3.

DE NVTRICATIONE INFANTIS.

CAP. IIII.

NVTRICATIO Autẽ infãtis, qui corporis habitu est optimo, in duas partes diuiditur. Vna est, quæ ab eius natali extẽditur

usq; quo priores dentes emiserit. Altera verò a dentium generatione ipsa usq; ad uiginti menses, vel ad biennium, quod spatium temporis communitèr in usu est pro lactatione infantis; Qui enim lactent paulò plus ultra secundum sententiam Neotericorum tardiusculi sunt, disciplinæq; apprehendendæ parum idonei. Igitur de ipsa prima parte, quæ est usq; ad dentium productionem, nunc pertractare operæ prætium est. Et animaduertant studiosi, quòd intentio nostra, non est obstetrices omnia ad earum artem maximè necessaria docere; sed ea tantummodo, quæ potius pro tuenda sanitate infantis ad nutrices pertinet, & neceßaria sunt pertractare. Quoniam statuo obstetrices ipsas instructas eße; prout ubiq; terrarum secundum consuetudinem regionum, prouinciarum uè, alijs atq; alijs modis instructæ inueniuntur; & hoc proptèr aeris, loci, et cibi rationem; Nihilominus docebimus ea, quæ erunt, prout dictum est, ad tuendam sanitatem infantis, & ad curationem morborum eius, tàm ad nutrices, quam ad obstetrices, secundum ordinem in suis locis pertinentia.

DE CIBO INFANTIS.

CAP. V.

Paul. 1. ca 9.

CVM Dentes ipsi primi, qui ob lactis qualitatem, quæ si calida est, citò, & si frigida, tardè suboriuntur. Propterea aliquandò in quinto, aliquandò in undecimo, & ut plurimum in septimo mèse nascuntur, teste Paulò Aegineta, dicente, circà mensem ferè septimum in pueris dentes producuntur; Laudo ut infans eo tempore solo lacte nutriatur. Et

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 10.

sima-

si mater filium lactare uoluerit, uel nutrix, quæ de recenti peperit, in primis quatuor diebus, uel paulo post. Lac enim eo in tempore indigestibile, crassum, & uitiosum est, quod Latini uocāt colostrū, Græci uerò τροφαλίδος. Præstat igitur exhibere, pro lacte, infanti parum mellis optimè despumati, sed hoc in Italia non est in usu. Mammas enim matres, & puerperæ ab alijs mulieribus emulgendas tradunt, donec in ijs diebus lac uitiosum expurgetur, & interea salubrius lac, ab alia nutrice infanti præbeatur, & cum cœperit mater, uel puerpera, transactis quatuor primis diebus, præbere lac infanti, conuenit in ijs principijs, bis, aut ter manè, lac ipsum prius manibus, uel ore alieno emulgere, posteà papillam infanti tribuere, ut si aliquod uitiosum adhuc in mammillis permanet, per ipsam emulsionem exauriatur, & lacte in melius purgato nutriatur infans. Et sufficiat infanti in ijs primis diebus eius natalis, sugere mammillas bis, aut ter in die. Etenim ob imbecillitatem caloris innati, non est multum lactandus, ut possit optimas facere concoctiones, & præfocationem ob copiam lactis uitare. Verùm probæ obstetrices ad confortandum cor, & resistendum malignitati sanguinis menstrui melancholici, qui in ipso infante ab utero matris originem trahit, & adhuc abundanter eo in tempore permanet, exhibere solent folium unum auri infanti cum lacte nutricis, pro primo cibo. Et quia sæpè contingere solet, (ne prætermittam secundum ordinem in suis proprijs locis ea, quæ necessaria sunt,) uel ob incuriam nutricis, uel ob imbecillitatem dextræ eius mammæ, aut malum usum, ut ex sola sinistra mamma lactet infantem, adeò, ut lactando, post-

Actius.4.cā. 3.
Auic. 1.f. 3. cap. 2.

quam

quam a fascijs soluta sunt brachia infantis, infans ipse dexteram manum necessario in brachijs nutricis semper oppressam tenens sequatur, ut ex ipsa consuetudine expedita, ut plurimum sinistra fiat sinister, scilicet, qui manum sinistram tantummodò administrat; Quamobrem ad utrasq; mammillas conuertere debet nutrix infantem, ut modò destram, modò sinistram manum liberam habeat.

DE FRICATIONE, INUNCTIONEVE' INFANTIS.

CAP. VI.

CVM Infans in utero matris nullam rem durã, aut asperã tangat, nec aeris frigiditas, aut caliditas extranea illi usquã noceat; Propterea corpus ipsum est molle, ac fluxibile, natus postea ubi in duriora, & aspera corpora, et frigiditatē, et caliditatē ambientis eius membra aliquandò incidere contingat, ut cutis ipsius, qui modò natus est, & membra ipsa densiora, & duriora ad tolerantiam, quàm aptissima fiant; statim post eius ortum, et primum balneum aquæ dulcis calidum corpus ipsius, præter oculos, nasum, aures, & os; & sensus ipsi hebetes non fiant, modico sale, subtilitèr, in puluerem resoluto, & cum oleo oliuarum, dulci, calido, misto aspergatur, & inungendo fricetur. Et si multum humidum, & crassum est corpus infantis, præstat pèr aliquot dies, puta, per octo, vel per decem, ad arbitrium bonæ obstetricis, miscere paucum salis contriti cum ipso oleo; Et ipsum primo die eius natalis transacto, non tantum inungere quotidie debemus; uerũ etiã mediocriter confricare, per totum corpus fricationes enim

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 10.

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 1.

Gal. 1. de sanit. tuẽ.

con-

conueniunt. Lacte in ventriculo adhuc crudo non existente, veluti fiet, si post longum somnum tempus obseruetur, & ante balneum. Nàm fricatio ipsa adiuuat concoctionem, & loco exercitationis supplementum præbet, attrahens alimentũ per uniuersum corpus, & omnia membra roborans, & ea soli diora, & fortiora reddẽs. Et hoc obseruare quotidiè conuenit; donec tres annos (lactationis scilicet) infantes ipsi excesserint. Qui verò hos tres annos excesserint, eos si non quotidiè, at ter tio quoq; die, quarto ùe inungere, atq; fricare oportet. Si verò corpus infantis sit macrum, & extenuatum, tunc animaduertant studiosi, quod inunctio salita, non conuenit antè balneum, sed potius post ipsum balneum ad constringendum, & claudendos porros per caliditatem ipsius balnei reseratos; alioquin alimentum fusum, ac dispensatum a uirtute balnei, in halitum per ipsos porros, rarefactos resolueretur.

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 10.

DE BALNEO INFANTIS.

CAP. VII.

EXPEDIT Vt semel saltẽ infans quotidiè lauetur ob multas sordes, et humiditates corrosiuas, et immunditias, quibus corpus ipsius cõtinuè abũdat. Et si dicat Auicẽna, ut ipse infans, bis in die, aut ter lauetur. Nihilominus, quoniam frequens lauacrum reddit corpus flaccidum, & imbecille. Ob id, mea quidem sententia, semel balneandus est ipse infans, nisi maior urgeat necessitas, & hoc saltem, vsq; in quartũ, a natali, mensem, posteà usq; ad septimũ, præstat, alternis diebus balneare infantem, a septimo verò vsq; quò a lacte amoueatur

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 1.

infans,

infans, sufficiat eum lauare bis in hebdomada. Et locus ubi lauatur debet esse hyberno tempore calidus, & aestate temperatus, et clausus, ne aeris subtilitas per cutem in balneo rarefactam ingrediatur, & faciat obstructionem, uel aliquam putrefactionem excitet. Hora uerò, qua balneandus est, melior est, quae post somnum obseruatur, & post perfectam digestionem. Nàm si antè digestionem, uel post cibum statim balneetur, uel fricetur, tùm corpus crudo alimento implebit, tùm caput onerabitur malis vaporibus. Igitur a longiori somno excitatus fricetur statim, & balneetur, et posteà ad nutriendum lac exhibeatur. Et animaduertendum est, post cibum minimè bibere infanti permittendum esse, quem balneum excepit. Etenim eorum, quae ventriculus continet, praecipitatior distributio in corpus fiat. Et balneum fieri debet, Aestate, aqua suaui, & tepida, parum cum rosis, violis, & chamaemelo ebullita. Hyeme uerò aqua calida, at non pungente, cum rosis siccis, floribus chamaemeli, maiorana, saluia, menta, pulegio, & calamento, prius, lento igne, parum ebullita. Et aures custodiantur, nè remaneat in eis humiditas balnei; Et pori obstructi perfrigescant, quia si ingreditur aqua in aurē quandoq; cum non custodit eam ille, qui balneatur, aut abluitur, & laedit, & quandoq; apostematur radix aurium, vehementem incurrit dolorem. Lauacrum verò ipsum fieri debet hoc modo. Pectus infantis non tangendo ventrem, manu sinistra nutricis, sustinendum est in concha satis magna, aqua balnei plena, & manu dextra, vel alienis manibus, posteà leuiter abluatur, ità vt omnes sordes, quae in collo sunt, & concaua loca, sicuti sunt axillae, & inguina diligenter exter-

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 10.

Gal. ibidem.

Auic. 3. f. 4. cap. 20.

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 1.

tergantur; Et deindè mollibus pannis linteis, & candidis, calidisq; hyberno tempore, & æstate siccis, tantum, exsiccetur, & suauiter extergatur.

DE FASCIANDO INFANTE.

CAP. VIII.

OBSTETRIX Postquam, prima die lauit infantem, statim post eius ortum, sedere debet (idemq; singulis diebus efficiatur) & genibus iunctis femoribus suis in linteolo mundo, & calido superposito, hyeme, panno lana contexto, infantem suauiter, & summa cum diligentia accipere, tangere, voluere, & tractare debet, & prius digitis purgare nares, & oleum dulce oculis infundere, vt tunicæ, quibus constant oculi, molliantur, & extergantur, & viuidiores factæ integrum visum habere poßint, & minimum eius digitum in ano infantis immittere, et in circuitu orificium mouere, & vbi opus fuerit dilatare, cõstringere, & omnia membra eius subtilitèr tractare, & eas rectas adaptare naturalitèr faciat, vesicam eius quoq; comprimere, vt vrinæ exitus facilis fiat. Posteà sub pannis ipsis, sublata fascia, lata, & satis longa, vt sufficientèr singulas partes circumcingere valeat, & in primis caput pannis, aut lino, aut lana contextis, at semper mundis, contegatur, hyberno tempore ex lana, æstate verò ex lino. Deindè thoracem, ab humeris incipiendo, simul cum pannis ipsis circumuoluatur, prius brachijs super ipsum thoracem, extensis adeò, vt manus eius vsq; ad genua ducantur, mox, coniunctis genibus, fascijs inuoluantur, &

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 1.

Auic. ibidē.

talis cotum interponatur, ne' ita coniunctis aliquid de membranulis corrodatur. Vltimo loco, signo crucis, in qua forma salus nostra pependit, muniatur; ne' ab aliqua nocturna, & malefica strige maleficietur. Scribitur.n. (sed omnio fabulosé sententia mea) ubera strigum infantium labris immulgere, & sic posteà sanguinem eorum exugere. Nihilominus Marsilius ficinus sic ait; Communis quædam est, & uetus opinio. Aniculas quasdam sagas, (quæ & striges uulgari nomine nuncupantur) infantium sugere sanguinem, quo, pro uiribus iuuenescant. Et similiter quotidie fascijs leuiter constringendus est infans, donec membra eius optime' roborentur, & solidentur, & præcipue' manus, & pedes eius, a natali usq; ad menses quatuor fascijs inuoluendi sunt, & transacto quarto mense manus, & brachia soluenda sunt; Post decimum verò mensem, pedes etiam, (nisi aliud indicetur) soluantur. Totus autem thorax, & venter usq; ad biennium, ad fouendum calorem innatum, & ad tuendas partes ipsas fascijs tegendus est.

Marf. Fici. lib. 2. de uita. cap. 11.

DE MODO CVBANDI INFANTIS

CAP. VIIII.

POSTQVAM Lauit, sumpsitq; cibum infans, det membra sopori, in loco non luminoso, sed potius tenebroso, ut facilius somnum capiat, non frigido, neq; humido, sed

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 1.

moderatè calido, vbi non adſit fumus, nec malus odor, & vbi eum dormientem lædere non poſsint animalia venenoſa. Etenim aliquandò euenit, vt æſtatis tempore, propter incuriam nutricis, relicto infante in aliquò viridario dormiente, ſub aliqua umbra, ſinè cuſtodia, ſerpentes per os ingrediantur, vel mordeant corpus ipſius infantis, & necent ipſum, vel ubi non ſit humiditas copioſa, uel immunditia aliqua. Aranei enim, & ſcorpiones in iјs locis ſæpè generantur, nè aduenientes ipſi ſuprà dormientem infantem aculeo venenato inficiant eum. Veluti anno ſalutis noſtræ 1570. in agro Veronenſi, vbi dicitur a Baldaria, accidit, dormiente enim quodam infante, filio vnico Domini Antonij Franciſci Anzolelli in cunis, ſcorpio ſatis latus ingreſſus eſt per os ipſius infantis dormientis, poſteà in eius gutture aculeo inficit eum, adeò, vt infans experrectus, & dolore excitatus, poſt multos labores, & dolores, & ploratus euomuerit ſcorpionem ipſum, & obierit diem ſuum, cum maximo dolore parentum ſuorum. ET ALEXANDER LANDVS Nobilis Veronenſis Vir medicinæ arte clariſsimus, & omni doctrina, & humanitate præſtantiſsimus retulit mihi, ſe vidiſſe quendam infantem, in cuius ſtomacho (dum in quodam prato dormiret) lacertæ duæ, tempore æſtatis, ingreſſe fuerant per os, adeò, vt ipſe ſæpè veluti epilepticus caderet in aromataria, ad ſignum fontis in ciuitate Veronenſi, propè templum ſancti Vitalis, quò ab ignorantibus cauſam ad medicum, curationis gratia, ductus erat ipſe puer; Et poſt ipſius in eodem loco caſum euomiſſe in eius præſentia, cum magna

omnium, qui aderant, admiratione, duas ipsas lacertas, qui posteà statim è morbo sanus euasit. Cicero autem loquens de Roscio inquit; Experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. Quapropter vt tutus sit, & illæsus conseruetur, nunquam infans, uel dormiens, vel vigilans, derelinquendus est sinè custodia, & cum dormit caput, & totum corpus eius tegatur in cunis cum linteolo mundo, ità tamen, ut respirare valeat, & ab animalibus istis, & alijs venenosis, vel similibus, sic facile lædi non posit. His ergò seruatis, infantem cubare volentes in cunis ponant, quibus stratum paretur concauum, sed satis molle adeò, vt extra cunas cadere facilè non posit, vt spina dorsi, aut collum non contorqueatur, & caput eius eleuatum semper sit; Et si oportuerit lucernam accensam ponere in loco ipso, prout dictum est, tenebroso, vbi dormit; Animaduertendum est, vt ipsa lucerna non ponatur post caput ipsius infantis, nè ipse ad aperiens oculos, & uersus ipsam lucernam cernens, necessario cogatur contorquere oculos; adeò vt per longum tempus strabositatis habitum asumat. Ideo semper ponenda est ipsa lucerna ad pedes cunarum, ut rectè adaperiens oculos in eam cernere posit. Vlterius infans ipse non est locandus, præcipuè nocturno tempore in lectulo apud nutricem, donec ipse infans cubare posit, manibus, & pedibus solutis, sinè fascijs, et admotiones, et functiones naturales peragendas, ualidus, & aptus sit. Nam sæpisimè ob negligentiam nutricis somno profundo deuinctæ euenire solet, ut infans fascijs alligatus manibus, & pedibus, non valens se mouere, sub lectulo tegatur, & suffocetur.

Cicero.2. de diuin.cir.m.

DE

DE SOMNO EX PLORATV INFANTIS CONCILIANDO.

CAP. X.

SI Infans ante' lactationem plorat, ploratus ei confert, at verò cum hora assueta, post fricationes, ablutiones, & lactis assumptionem, non conciliat somnum, sed plorat, tunc ploratus ipse ei nocet, impediens concoctionem, & deorsum pellens cibum indigestum. Propterea somnus tribus modis conciliari debet. Primo si nutrix ponat papillam mamillarum in ore ipsius infantis. Nam non parum lenit eorum dolorem. Secundò si mediocriter in cunis moueatur. Etenim post lactationē, eius cunæ uehementi motu non sunt mouēdæ, quia in ipsius stomacho lac concutitur, & sic facilius indigestum descendit. Tertio si nutrix vocis modulationem exhibeat, quibus modis uti prudentiores nutrices consueuerunt, sic dolorem, & somnum conciliantes, qua corpori simul, & animo auxiliatur. Verùm enimuerò si ijs non obstantibus, perseueret ipse infans in fletu, fasciam statim in primis inspicere debemus, nè nimis stricta sit, aut si pedem, aut manum contorserit, aut si ab aliqua re pungente lædatur; prout aliquandò accidit, ob negligentiam nutricum. Relicto enim aliquo acu, aut aliqua re dura, aut aspera, in ipsis cunis, inuolucrisq;, euenit vt sæpè infantes ipsi pungantur, aut proptèr nimiam repletionem lactis, quòd perspicies si præcordia, & stomachus eius erit repletus, et tensus; Inspicies etiam si causa erit proptèr grauitatem coopertoriorū, aut proptèr paucitatem eorū, aut ob nimiā caliditatem, aut ob frigiditatem, aut ob desiderium voluendi

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 2.

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 7.

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 2.

se in latus. Quoniam infantes ipsi nunquam plorant sinè legitima causa. Quippè loquelæ adhùc expertes, ploratu, clamore, iracundia, & inordinato sui motu dolorem indicant. Propterea prudens nutrix diligentèr debet animaduertere, & inuestigare, vt causas ploratus eorum cognoscat, quibus cognitis opportuna remedia ipsis exhibeat; Et principaliter animaduertenda est immunditia eorum, quippè in inuolucris, et pannis immundis, et sordidis inuolutus infans nunquã quiescet; Amans semper exactißimam munditiam, veluti exemplo pulcherrimo nos docet Galenus, dicens. Ego, namquam puello quodam totum diem irato, plorante'que, ac immodicè, inordinate'que se iactante, nutrice ipsa omnis consilij inope, deprehendi, quòd offendit, quippè vt neq; papilla in os immissa, neque a nutrice prolatus, si fortè meiere, aut aluum exonerare vellet, lenitus est; sed nec ulnarum agitatu reclinari est cœptus. Aduerti autem tùm lectum, tùm inuolucra, tùm vestes ipsas sordidiores. Propterea puellum ipsum immundum, atque illotum lauare, detergere'que iußi, tunc lectulum illi mutari, ac vestem omnem tersam, mundam'que præberi, quibus peractis, protinus ab immodico agitatu conquieuit, illico'que dormiuit, non suauißimum modò, verum etiam longißimum somnum. Vlterius cùm infans dormit custodiatur a prohibentibus somnum. Nàm maiori parte temporis infantes dormiunt, & cùm surgit a somno excitetur ad videndum lucem, in tenebris enim infantes timent.

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 8.

Gal. ibidem.

DE

DE NVTRITIONE SEV CIBO INFANTIS AB INITIO DENTIVM PRODVCTIONIS VSQ; AD BIENNIVM.

CAP. XI.

NVNC Verò dicendum est de nutritione a principio dentium generationis, vsq; ad biennium, vel vsq; quo infantem lactauerit, Etenim aliqui lactant, iuxtà sententiam Galeni, vsq; ad tertium a natali, annũ; Et secundum Auicennam per biennium, & aliqui per viginti menses; sed antè dentium omnium firmam generationem, inconueniens est a lacte ipsum infantem deducere, vt poßit non tantum solidum cibum diuidere, sed etiam diligenter eum manducare. Intereà verò, si infans sanus est, (Quibus enim aluus multum profluit, & benè concoquunt hi saniores sunt, quibus verò modicè profluit, & voraces sunt, & non pro ratione similiter nutriuntur, morbosi) prout putatur, & cum simile simili nutriatur, & cùm a prædominio infantes sint calidi, & humidi, semper victus humidus ei conuenit; vt patet ex Hippocrate Victus humidus febricitantibus omnibus cõfert, maximè verò pueris. Transacto uerò septimò mense a natali, & primi duales, et anteriores dentes iã orti, et firmati fuerint, tunc solidiori cibo infantem se ipsum assuefacere conuenit, non, omißo tamen lacte; Et primum panis commansus osculo infantis immittendus est, posteà legumina prius cocta, & commansa a nutrice exhibenda sunt, & deindè, carnes, & similia; Dura autem non sunt ei ad manducandum danda tàm citò, vt poßit eas masticare, & faciliter digerere. Immò

Gal. lib. 1. de sanit. tuẽ cap. 9.
Auic. lib. 1. f. 3. doc. 1. cap. 2.

Hip. de dentitione

Hip. 1. aphoris. cap. 16.

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 10.
Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap 2.

panis incisus, cum lacte ebullitus, vel cum aqua, & oleo, vel iure carnium ei exhibendus est, vel farina ex frumentaceis seminibus cum lacte vaccino, vel ouillo, caprinoq; similiter cocta, donec apparuerint canini dentes, qui postquam fuerint orti, & firmati poterit ei exhibere panem non valdè durum, & pultes, mox carnes, & legumina, & similia secundum exigentiam sanitatis, fortitudinis, virum, temporis, & iudicij bonæ nutricis. Vnum tamen obseruandum est, ne lac in stomacho coaguletur infantis, ut post lactationem, & emulsionem lactis, ei non exhibeantur acetosa, neq; salsa, neq; aromatica, neq; acria, neq; vinosa. Et si dicat Galenus, quarè, neq; iam adultis vinum, nisi modicè sumptum, existimandũ est utile esse. Quod uidelicet ad iram præcipites, & ad iniuriam incontinentes facit, & partem animi rationalem turbidamq; reddit. Nihilominus ad adiuuandã concoctionem, & nutritionem, postquam fuerit infans a lacte remotus, at non antè laudo ut ipsi infanti parum vini aqua correcti, & moderatè exhibeatur. Aetius enim inquit, donec firmetur infans, lacte nutriatur; postquam verò solidus factus fuerit, micis panis ex vino mulso, aut vino dulci, aut lacte. Deindè etiam oua sorbilia sumat; nàm quæ mandere oportet, saluia in ipsis replentur. Potus dandus est vinum dilutum.

Gal. 1. de sanit. tuen. ca. 11.

Aetius. lib. 4. cap. 28.

DE LACTIS, ET CIBI INFANTIS MVTATIONE.

CAP. XII.

ET Quia infantes interdùm propter aliquam infirmitatem, vel mortem nutricis, vel ob aliquam aliam causam,

fam, coguntur maximo suo periculo, & molestia ab altera nutrice lac emulgere, vel in cibo mutationem facere; propterea, si, a natali usq; ad septimum mensem, vel paulò vltrà contigerit, lactis, seu nutricis mutationem facere, quoquo modo facta sit, (dummodo nutrix optimas eius conditiones habeat) facilis erit mutatio. At cum infans dignoscere incipit difficilime alterius nutricis mammas emulget; prout ego ingenuè fateor me infantem quendam vidisse, qui (eius prima nutrice, proptèr comercium viri pregnante) potius, quàm ab altera lac emulgeret, fame perijsse. Germani autem hac difficultate commoti, statim ab initio incipiunt nutricare infantes pulmento quodam, quod uulgari sermone mosam vocant ex uaccino, aut ouillo, vel caprino lacte, & frumentaceis farinis igne confecto, ut in similibus valeant sine nutrice nutricare infantes. Verùm si ista euenerit necessitas, tùnc secunda nutrix nocturno tempore in tenebris, sub silentio, nè uisu, aut loquela eam dignoscat, incipiat paulatim lactare ipsum infantem, donec assuescat. Et si hæc non sufficiant, modico melle, aut saccharo in puluerem redacto, cum lacte ipsius nutricis admisto papillas mamillarum inungat, & in os infantis inijciat, quousq; ad emulgendum alliciatur. Vel lac in ore manibus proprijs emulgeat infantis; quoad ipse infans a suauitate lactis excitatus papillas ipsas suscipiat, & eas sugere incipiat. At si infans ablactatus erit, donec percipere cum ratione valeat eum abstinere valde necessarium est a cibis unctuosis, pinguibus, fructibus, dulcibus, & facilè putrescentibus, similibus enim assueti infantes alios cibos comedere nequeunt. Præterea cibos, quibus uti non con- Hip. lib. 2. acuterum.

 sueuerunt,

Hip.lib.1. aphor.13. ſueuerunt, etiam ſi mali non fuerint, moleſtè ferunt. Et cùm minimè infantes ipſi ieiunium ferant, præſertim, qui inter ipſos ſunt inuidiores, cum eos cibare uolueris, neceſſitate coactus eris, aut eis aſſuetos cibos exhibere, aut abſq; nutrimento
Hip.lib.1. aphor.14. de die in diem abſumi corpus eius inſpicere. Qui creſcunt enim plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus abſumitur.


DE REGIMINE INFANTIS A' DENTIVM PRODVCTIONE, VSQ. AD LACTIS REMOTIONEM.

CAP. XIII.


CVM Infans iam ſolidior factus ſit, & brachijs, & manibus mouere, & pedibus ſinè faſcijs repere cœperit, ingredi, uel ambulare, uel aliquid motus facere immaturè cogendus non eſt, ne eius membra diſtorqueantur. Verùm quia in ambulando ſæpiſſimè in ijs principijs contigit infanti cadere. Proptereà ut facies, & caput eius cadendo lædi nō poſſint. laudo ut quotidiè ponatur in capite infantis circulus quidam rotundus, et leuis ex panniculo lineo, uel pelle hædina factus, & coto plenus, ueluti corona regia, in quatuor partibus diuiſus, cuius forma hic annotata uidetur.




Posteà ut ad incedendum facilius assuescat eum substinēdo sub axillis, & brachijs adiuuare debemus, ad parumpèr deambulandum, & hoc stomacho non repleto, & non statim post cibum. Laudo etiam, ut aliquandò ponatur in quodam (ut in Italia fieri solet) paruo curriculo, gratia huiusce exercitationis tantummodo facto, in quo per se ipsos infantes deambulando cadere non poßunt; cuius forma ad clariorem intelligentiam quorumcunq; inferius descripta apparet.



Deindè cum erit fessus, uel gestandus est, uel prout multis in locis obseruatur, eum ponere ad sedendum debemus in quadam parua sede, in qua concluditur adeò, ut pariter cadere non posſit, & meiere, & aluum exonerare quàm aptißime poßit, sinè aliquo impedimento, cuius forma similiter ad claram omnium cognitionem, hic posita est.



Et cum ratio in eis sopita sit præterea ab ipso infante semper remouendi sunt lapides, ligna, fustes, cultelli, vitrum, & omnia alia instrumenta ferrea generis cuiuscunq; quæ lædere, pungere, aut incidere, aut frangere, aut grauare possunt, & pariter summa cum diligentia semper remoueatur ab igne, ab aquis, à puteis, a locis altis, & a locis, quò sæpè conueniunt, & transire solent animalia, quæ vel morsu, vel cornibus, vel pedibus lædere solent, & possunt, prout sunt canes, boues, equi, & similes; Posteà, sed semper cum custodia, more agni, sic vel sedendo, vel deambulando lasciuire concedatur. His ergò omnibus de die in diem summo studio, diligentiaq; seruatis, sanitas facillimè custodietur infantis, donec peruenerit ad biennium, vel ad ætatem, in qua ex se ipso ad ambulandum, loquendum, & comedendum quamaptissimus erit; Et cùm aliquid intelligibili modo loqui

qui cæperit, hortor ut ante omnia a nutrice, vel a matre doceatur pronuntiare ea, quæ pertinent ad cultum diuinum, veluti orationem dominicam, Symbolum apostolorum, & salutationem angelicam; quoniam initium sapientiæ est timor Domini.

DE REMOTIONE INFANTIS A LACTE CAP. XIIII.

ANTEQVAM, Infans a lacte remoueatur, necesse est, ut ad omnium dentium firmitatem, & perfectum numerum, qui in vno quoq; duos, & triginta continet, in vtraq; maxilla sexdecim collocatos perueniat, ut valeat cibum solidum incidere cum anterioribus, qui incisores nominantur, & octo sunt numero. 4. suprà, & 4. infrà, & cum proximis, qui canini vocantur, & quatuor numero sunt, si quid proptèr duritiem ab incisoribus scindi minus potuit, id frangatur & manducare etiam ualeat, aut læuigare interioribus, qui molares uocantur, & in numero debent esse quinq; vel saltem quatuor, ab vtraq; parte, tùnc a lacte eo tempore ipsum deducere poterit; Quòd si ante eorum ortum remoueatur, periculū est ne infans ipse in ipsorū dentiū generatione, et maximè cū caninos edit dentes (tùnc enim propter febres, alui profluuia, gingiuarum dolores, oris vlcera, & alia seuiora symptomata, quæ ei vt plurimum contingunt, comedere nequeat) & a lacte remotus potius fame, quàm morbo pereat. Propterea ut inquit Aetius. Vbi verò iam intrepidè frumentaceum alimentū infans sumit, quod plerumq; circà uigesimum mensem

con-

Gal. lib. 11 de usu part. cap. 8.

Gal. ibidē.

Aetius lib. 4. cap. 28.

contingit, tùnc latenter, & paulatim ab ubere desuescat, & oportet ut hoc paulatim fiat, ut ad mutationem ipsius cibi facilius assuescat. Mutatio enim ipsa periculosa, & permolesta est, ut Hippocrati uisum est, dicens, cibos uerò quibus uti non consueuerunt, etiam si mali non fuerint, molestè ferunt, consimili modo, & potus. Laudo etiam, ut ipsa a lacte remotio fiat, uel in tempore ueris, uel in autumno, ne infans, qui, relicto cibo assueto, & qui ex nouo, non secundum consuetudinem nutritur, & aliquo modo patitur, a qualitatibus etiam ambientis, scilicet a maximis caloribus, et frigoribus aliarum tempestatum, facilius non lædatur, adeò, ut in aliquam perniciosam infirmitatem incidat. Igitur in primis diebus, uel in uere, uel in autumno, ad id, quod est ex genere sorbendi, ueluti ex ijs, quæ conficiuntur ex lacte, & farina, uel carnium leuium assuefaciendus est, uel ex ferculo, quod Itali uocant, panatellam, cum pane minutim inciso, oleo, & aqua, uel iure carnium cocto, ex qua quotidiè manè prò primo cibo, ad calefaciendum stomachum, cyathus unus ipsi infanti cùm surrexit è lectulo exhibeatur, & glandes etiam, & pastilli ex farina, & sacchro confecti ei exhibeantur. Verùm ubi infans difficile relinquat emulsionem mammarum, nutrix papillas mamillarum suarum succo abscinthij recentis inungat, quas semel cum gustauerit, sic inunctas, amplius emulgere non cupiet; uel ℞ mellis drag. 2. aloes contriti drag. 1. succi mentastri recentis drag. 2. misce, & papillas inunge. Infantes enim qui dum lactent, interim cibum adsumunt, facilius ablactationem ferunt.

Hip. 2. de uict. rat. acut.

Auic. 1. f. 3. doc. 1. cap. 2.

Hip. de dentitione.

DE

DE HIS QVAE PERTINENT TAM AD ANIMI MORES, QVAM AD TVENDAM SANITATEM INFANTIS. CAP. XV.

ETSI de ijs tantummodò, quæ ad tuendam sanitatem, & curationem morborum infantium, lactentium attinet, scribere proposueram. Nihilominus, quoniam aliqui, (prout dictum est in cap. II. istius libri) sugunt per bienniũ, & aliqui etiam usq; in tertium a natali annum, & eo in tẽpore incipiunt secundum rationem intelligere, loqui, & ambulare; Propterea de animi moribus etiam, qui ad ipsam, tùm animi, tùm corporis sanitatem pertinent, aliquid proponere mihi pernecessarium esse uidetur. Quapropter cum infans cœpit dignoscere, obseruare oportet, ut infans non incidat in iram fortem, neq; uehementem timorem, neq; tristitiam, neq; uigilias, etenim ualde exsiccant corpus, & impediunt ipsius excrescentiam, & aliquandò generant diuersas ægritudines. Ira enim, quæ furor quidam est, existentis in corde caloris, ob immoderatum motum, per totum nonnunquam diffusa corpus febrem accendit. Sed indulgendum est ei infanti, quod moderatè desiderat. Nàm ætati, & consuetudini, & tempori aliquid indulgere conuenit. Igitur post somnum, si est balneãdus, prout dictum est capite proprio in libro hoc, balneetur. Deindè laudo, ut eum ludere permittatur; Et post ludum, aliquid ei ad manducandum exhibeatur. Et summoperè illud attendendum est, ne uideat horribiles figuras, nec qui custodit eum nimis ferox in uultu ei se obuiam offerat, ut repentè non perterreat eum, ne melancholia, & nimio mœrore

Auic. 1.f. 3. doc. 2. cap. 2.

Gal. de causis morb. cap. 2.

Gal. lib. 8. met. med. c. 9

mærore oppreſſus, & ſic malè affectus, in malos mores, & in infirmitates incidat. Etenim multi præ ſola lætitia morbos euaſerunt, multi etiam præ mærore ægrotauerunt; ſed hilari, & amabili fronte occurrentem ſibi exhilaret eum ſemper. Spiritus enim per radios oculorum faſcinare, inficere, & afficere poteſt, adeò, vt non omninò mirum ſit morbos quoſdam animi, atq; corporis inferri, & auferri poſſe. Proſpiciat etiam qui cuſtodit eum, vt in præſentia ipſius non proferat, nec proferri ab alijs toleret blaſphemias, maledicentias, & obtrectationes, nefaria, uel impudica verba, nec ea, quæ non ſpectent ad honorem, & cultum Dei, nè diſcat poſteà cum maximo genitorũ ſuorum dedecore, & nonnunquam contrà eorum ſententiam talia pronuntiare. Et antequam ad magiſtrum, qui eum doceat, ducendus ſit, ſaltem ſex habeat annos, vt aliqua ratione, & ordine, et naturæ fortitudine gradatim diſcere valeat; Et ſi mens patris erit, ut infans, exempli gratia, literis incumbat, & arma odio habeat (etenim infantes ipſi veluti mollis cæra ſunt, quæ omnem ſigilli formam recipit) oportet vt tempeſtiuè libros illi porrigat, & literas doceat, & proponat, eas laudando, arma uerò ſemper ei occultando deteſtandoq;. Animi enim mores corrumpuntur malis conſuetudinibus, cibis, ac potibus, & gymnaſijs inſpectionibus, auditionibus, & mala muſica; quòd ſi cauſarum ſuperiorum occulta inclinatio nonnunquam magis urgere videatur, veluti de Achille ſcribitur ab Homero; Nihilominus uir ſapiens dominabitur aſtris, & nihil difficile uolenti, experientia probamus. Poſtremò cũ legere, & aliquid intelligere cœperit de ætate in ætatem prouidendum eſt illi de præceptore probo, & doctiore, qui humanitate,

Gal. de paruæ pillæ exerc. cap. 1.

Auic. 1. F. 3. doc. 2. cap. 4.

Paul. ægineta lib. 1.

tate, diligentia optimè doceat ea, quæ respondent uoluntati patris. Motus uerò, & exercitationes cum proportione annorum commensurare oportet. Nam Galenus inquit; Recens tamen nati puelli tàm ualentem motum, quàm est, qui uehiculis, nauigijs, equisuè præstatur, adhuc non desiderant. at qui iam tertium, aut quartum annum, à natali agunt, his uehiculo, nauigioq; modice agitari licet. Septennes uerò etiã ualentiores motus tolerant, ita ut equitare iam assuescant. Gal. de tuen. sanit. cap. 8.



OMNIBONI FERRARII MEDICI AC PHILOSOPHI DE ARTE MEDICA INFANTIVM.

LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO

Auic.lib.1.F. 3. doc.1. c.3.



IN CVRANDIS infantium lactētium morbis, pro qualibet curatione obseruare operæ pretium est. Primum ut nutrix rectè regatur, ut si in ea aliqua repletio ex quatuor humoribus superabūdauerit, statim adhibita distinctione, secundū qualitatē eorum abūdātiæ, minuatur, et propria euacuatione tollatur. Et si oportuerit medicinam solutiuam ipsi exhibere nutrici, tunc per diem naturalem, alia nutrix lactet infantem. Præterea semper, (nisi aliud indicetur) euitāda erant pharmaca solutiua. Ex ipsis.n. facilè extinguitur, uel exterminatur lac. Nutrices igitur, & infantes ipsi, quoad eius fieri poterit, curari debent cum his quæ comeduntur, & bibuntur. Nec nō

Gal.lib.5.de simpl. med. facul.cap.21

animaduer-

animaduertendum est, quòd infãtes ipsi, propter uirium imbecillitatem, non possunt tolerare medicamenta, tàm intrinsecus, quàm extrinsecus ualde alterantia, & euacuantia; nec sanguinis mißionẽ ante pubertatem. Studiosi postremo animaduertant, ut si quispiam morbus, necessario, primò, post ortus eius afficiat infantem; nihilominus nõ ab ipso incipere curationem constituimus. Sed primo ab ægritudinibus capitis, ut à sede animæ rationalis initium fiat, & methodicè agatur. Posteà de omnibus morbis, infantibus ipsis contingẽtibus, quos uel ab auctoribus approbatis græcis, aut Arabibus, aut Latinis, uel aliunde collegimus, & experti sumus per singulas partes corporis, gradatim descendendo examinabimus, & proposito quolibet morbo, quis affectus præter naturam sit inuestigabimus, & quibus signis, & ipse, & eius causæ cognoscantur declarabimus; mox & eius morbi prognostica, & propriam curationem, secundum methodum, & doctrinam rationalem, scribere tentabimus. Gal. lib. 11. met. mediç. cap. 14.

DE NATVRA INFANTIVM.

CAP. I.

ANTEQVAM Curationem morborum infantium scribere aggrediar, prius de natura ipsorũ, tanquã de subiecto istius artis, aliquid disserere rationi cõsonum est, quæ in duas partes diuiditur. Quarum una est cùm membra ipsius infantis, nondùm ad motiones, & ad ambulandũ sunt apta, de qua ut plurimum à nobis in hoc opere pertractare statutum est. Altera uerò est, post ambulationem, & antè Auic. lib. 1. F. 1. doc. 3. cap. 3.

corporis robur, quandò nondùm dentes ceciderint, & nati fue rint. In prima, ille, qui est uocatur infans, id est, qui nondum fari cœpit. In secunda uerò puer, quoniam purus est, & nondum ad pubertatis annos peruenit. Et natura eorum habet eandem rationem in ætatibus, quam uer in quatuor temporibus, scilicet calida est, & humida. In infantia magis, quàm in pueritia pituita abundat. Vere enim ineunte pituita adhuc in corpore uehemens manet. In pueritia uerò indies fit diminutio ipsius pituitæ, & calor, & sanguis augentur. Qui enim crescunt, plurimum habent calidi innati. In infantia, quæ perficitur, ut plurimum per biennium dentes generantur, et hactenus cùm ratione caruerint, tùnc loqui, & cum aliqua ratione dignoscere incipiunt. Attamen adhuc eorum corpora mollia, & fluxibilia sunt. In pueritia autem, de qua nùnc loquimur, quæ est inter dentium generationem, & mutationem, & extenditur usque ad septimum annum, quoniam de ea, quæ extenditur usq; ad tertiumdecimum annum, nunc uerba non sum facturus, disciplinæ capaces aliquo modo fieri incipiũt. potius in fine, quã in principio. Etenim imbecillis adhuc in ipsis ratio est, & eorum ossium natura potius cærea, quàm lapidea uidetur, & eorum pulsus creberrimus est, propter abundantiã caloris innati, undè cor frequenti refrigeratione aeris indiget, sed propter angustiam instrumentorum, minuitur ipsa refrigeratio, ex qua angustia, uox etiam redditur in ipsis acuta. At natura, siue temperamentum eorum adeò temperatum est, ut infantes, ipsi facilius, quàm adulti, (sicuti ego longa experientia didici) maximas ægritudines tolerare uideantur,

Gal lib. 8 de Hip. & Plat. decretis c. 6.

Hip. lib. de natura humana com. 3.

&

& præcipuè qui lacte nutriuntur: Et cùm cibi non sunt expertes sæpè ex diuturnis, & grauissimis morbis euadunt, & conualescunt. Vndè PAVLVS DIONISIVS Clarissimus Medicus Veronensis à quo carminibus elegantissimis, & elegiacis de natura oculi, methodus curandi vlcera, & Hippocratis aphorismi fœliciter, & doctissimè explicati sunt, in actu practico se uidisse mihi dixit quendam infantem annorum duorum, filium cuiusdam sui uicini, oculis clausis, pulsu, & motu ex grauissima febre destitutum, qui posteà è morbo conualuit. Et si infantes ipsi uoraces sunt, multum lactis trahentes non pro ratione carnosi fiunt. Et si multum mingunt minimè anniculi fiũt. Et qui plus mingunt, quàm egerunt, pro ratione pinguiorès sunt. Qui benè dormiunt, & pinguiores sunt, multum alimentum adsumunt, idq; adiacet, non sufficienter distributũ; quibus infantibus in sugendo lac tussis instat, uuam maiorem habere solent. Hip. de dentit.

DE LACTEA CRVSTA.

CAP. II.

ETSI de hoc morbo antiqui nihil sub isto nomine scripserunt, intelligentes forsan ipsum, ut Galenus sub psydracij, aut achorum, & ut Auicenna sub sahafati nominibus cõprehendi; nihilominus, quia à recentioribus, ut Manardus in suis epistolis ait, ut Gulielmus de Saliceto in empirica, & ex consuetudine, omnes mulieres lactis impuritatem hæc affectio sequi putatur, ut facilius dignosci ualeat, sub Gal. lib. 1. de comp. med. sec. loc. c. 9. Auic lib. 4. F. 7. trac. 3. c. 1.

nomi-

nomine ipſo curationem ſcribendam duxi ſequens authoritatem ipſius de ſaliceto, qui pratèr achoras, etiam ſub nomine lactucij, aut lactuminis, de morbo ipſo ſcripſit. Qui nihil aliud eſt, quam ſanioſa cruſta colore albicans, qua vt plurimum in principio lactationis, caput, facies, & aliquandò uniuerſũ corpus infãtis cooperitur; propterea lactea cruſta uocatur, græco uerò uocabulo γαλακτικος πλαξ, & cauſam trahit ab humiditate acuta, ſalſa et corroſiua, à qua ſumitur indicatio & permiſcetur ſanguini, prout ſigna ex aſperitate, colore, & tenacitate ipſius cruſtæ indicabũt. Et ſi oculos cruſta ipſa non lædit, & non dehoneſtat, & cũ vt plurimũ in Hyeme appareat, prædicendum eſt cũ ipſo Auicenna morbũ ipſum eſſe facilis, & uelocis curationis. Quapropter in uictus ratione aer eligatur, ad ſiccum, & frigidum uergens, exerceat ſe nutrix manè, & ſerò per horam antè cibum quotidiè, ſecundum conſuetudinem, aluus deijciat, uel ſponte, uel arte, clyſterijs communibus, & in infante, ſi non deijciat ſoluẽda eſt hoc pacto, detur ei parũ mellis, aut terebinthinæ, ad quãtitatem unius ciceris; Nec non caueat ipſa nutrix à diurno ſomno, & precipuè à prandio. In cibo preterea caueat à ſalſis. ab omnibus oleribus, prætèr lactucam, endiuiam, acetoſam, ſpinachiam, & atriplicem, caueat ab alijs, cæpis, porris, raphanis, & leguminibus, à caſeoſis, à pulmentis, ab aromatibus, et carnis bubulis, ſuillis, & ouillis, & ab omnibus ijs, quæ ſunt difficilis concoctionis, & mali ſucci, & perturbationes animæ vitet. Comedat in cibo panem benè ſubactum, fermẽtatum, & ſatiscoctũ, carnes vitulorum, hædorum, vervecum, & pullorum, gallinaceorum, & auium terreſtrium, &

DE DIFIN. MORBI.

Auic. ibidẽ. CAVSA. SIGNA.

PROGNOSTICA. Auic. ibid.

VICTVS RATIO.

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. cap. 3.

similium, bibat uinum subnigrum, astringens, & paucarum uirium, & aqua temperatum. Pro curatione uerò ad præscriptas affectiones, conueniēti uictus ratione uti oportet, corporisq́, ac capitis purgationem adhibere per pilulas ex aloe. Propterea nutrix per tres, aut quatuor dies continuos capiat pilulā unam sequentem, per horam ante cænam. R. pilularū de hiera cum agarico de aloe, an. gran. 12. & cum melle rosato reformetur p. i. & inauretur. Posteà si crustæ in infante siccæ sunt, abluantur aqua simplici rosacea, aut oleo rosaceo, uel R. unguenti rosati, Mesue, unguenti albi, infrigidantis Gal. an. unc. s. misce, & inunge, uel R. aquæ plantaginis, semper uiuæ, florum chamæmeli, rosaceæ an. partes æquales, misce, & ablue. Si uerò humidior fuerit ipsa crusta, tunc conuenit adiantum cum rosaceo illitum, aut fœnugræci decoctū adfrictum, aut malua cum farina ordeacea, pro cataplasmate imposita, aut melilotum cum farina fœnugreci ex uino impositum, & cicerum decocto, ipsumq́ cicer coctum impositum, nuces amare, commansæ, & illitæ præstant. Sed si crusta ipsa tetigerit oculos, tunc animaduertendum est, ne oculos ipsos lædat, & lucem impediat. Vnde R. lactis optimi aliæ nutricis, acquæ rosaceæ an. unc. I. misce & oculos ipsos inunge, uel ablue.

MEDICAMEN. RATIO. Gal. lib. 2. de comp. med. secund. loc. cap. 9.

Gal. ibidem.

DE ERYSIPELATE
CAP. III.

INFLAMMATIONIS Nonnullæ sunt species, & differentiæ, inter quas, ea quam Græci ἐρυσίπελας &

Latini

DEFINIT. MORBI. Gal lib.2.ad Glauc.cap.1

Latini ignem sacrum uocant, numeratur, quæ nihil aliud est, quam ex sanguine, & flaua bile, calidioribus, quàm oportet, mixta fluxio, uel ex sanguine quidem, sed feruescente, & tenuissimo, secundum substantiam, de qua, & præcipuè de ea, quæ capiti infantis accidit, hoc capite agere decreuimus; causam ut plurimum trahente à mala uictus ratione nutricis præterita. Et signa sumuntur aliquandò ex febre, sed semper ex ipsa affecta parte, quæ enim colore rubra, tactu calida, & tumefacta esse percipitur, et tactu sanguis ipsius partis facilè subterfugit, & rursus illabitur. Quapropter ignorandum non est erysipelata, quæ caput inuadunt esse difficilis curationis, proindè nisi efficaciore subueniatur adminiculo, languentes interdum suffocant. Igitur uictus ratio nutrici instituenda est, declinans ad frigidum, & humidum, tam in aere, quàm in alijs rebus, non naturalibus, ab exercitatione uacet, somni sint solito breuiores, quotidiè aluus deijciat, uel sponte, uel arte, tàm in nutrice, quàm in infante. Caueat nutrix à uino, à cibis salsis, ab aromatibus, ab alijs, à cæpis, à porris, à raphano, ab oleribus, & seminibus calidis, & uaporosis, à leguminibus, à carnibus crassioribus, à fructibus fugacibus, quoniam facilè putrescunt, & conuertuntur in bilem. Bibat aquam cum ordeo coctam, uel iura carnium, comedat carnes pullorum, gallinaceorum, uitulorum, hædorum, ueruecum, et auium terrestrium, & similium; inter olera comedere poterit lactucam, blitum, spinachiam, maluam, endiuiam, atriplicē, & acetosam. Inter fructus, poma, & pyra cocta. Curatio uerò, ut ostendit indicatio, refrigeratione perficitur, nam in erysipelate refrigerationis indicatio magis urget, quā uacuationis,

CAVSA.

SIGNA.

Paul.ęgi:lib. 4.cap.21. PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

Gal.lib.13. met.med.c.8 MEDICAMENT. RATIO.

nis, cum ijs, quæ influentem materiam calidam ui frigoris retundunt. Nihilominus si lac nutricis erit causa ipsius morbi, tunc nutrici exhibeatur bolus hic cassiæ, hora una antè cibum; ℞. cassiæ extractæ drac. viij. s. diacatholicon drac. ij. s. misce, & cum saccharo f. b. & eo die, in quo sumit cassiam, alia nutrix lactet infantem, Verum si aluus, in infante astricta sit (prout sæpè propter febrem contigit) suppositorium ex melle, & hiæra, & sale factum imponito, uel fiat clyster hoc modo. ℞. maluarum, matrũ uiolarum, mercurialis, bliti, an. M. i. bulliant omnia in s. q. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. Posteà coletur, ex qua colatura. ℞. vnc. vi. uel octo, secundum ætatem, olei uiolati vnc. ij. mellis rosati vnc. i. uitelli unius oui, sacchari vnc. s. salis drac. s. misceantur omnia simul, postea uesica porcina imponantur, & cum penna anseris, ab utraq; parte incisa, & una parte collo ipsius uesicæ adalligata, fiat clyster: uel aluus soluenda est. prout à nobis in præcedenti capite, auctoritate Auicennæ, declaratum est, cum terebinthina, aut melle, deinde ad localia, & auxilia materiam fluentem reprimentia, deueniendum est. Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. cap. 3. Quapropter ℞. succi solatri, semper uiuæ, portulacæ, lactucæ, plantaginis, psyllij, aquæ rosaceæ, an. partes æquales misce, postea panniculi linei in ipsis succis madefacti superponantur loco affecto, uel ℞. infrigidantis galeni vnc. s. vnguenti albi drag. ij. camphoræ puluerizatæ. scrup. s. aceti albi, olei rosati, omphacini an. vnc. s. unguenti rosati, Mes. aquæ rosaceæ, an. drag. i. s. misce, & omnia in mortario plumbeo benè ducantur, & s. a. fiat linimentum, uel ℞. albuminis unius oui lithargyrij, subtilissimè contriti drac. ij. unguenti rosati mes.

vnc.s.aceti drac.iij.aquæ rosaceæ drac.i.s. misce, & simul omnia conquassentur, & panniculi infusi applicentur loco affecto, et sæpè reiterentur, uel sic ceratum humidum ex aqua frigida subactum, accurateq́ madefactum calido affectui imponas, protinus .n. frigefacies, sed frigefacere oportet, quousq́ color ruber mutetur. Etenim quod exquisitum, & purum Erysipelas est, statim hoc facto quiescit.

Gal.lib.1.de simpl. med. fac.cap.6.

Gal. lib. 14. met.med.c.3

DE HERPETE EXQVISITA.

CAP. IIII.

DEFIN. MORBI.

SI Flaua bilis sola & exquisita, & non alio coniuncta humore infantis, aliqua capitis, uel alterius membri pars afficiatur, morbus fit, qui à Græcis ἕρπης, & à latinis simpliciter sine additione Herpes uocatur, & cum affectio ipsa generetur ex ipsa flaua bile exsiccata, uel à mala uictus ratione præterita, uel ab aere ambiente, uel à prædominio: signa erunt pustulæ colore citrino, & forma rotunda, quæ ueluti serpentes serpendo egrediuntur. Et quia affectio hæc prouenit, ut dictum est, à materia calida, & differt ab erysipelate humoris tenuitate, quoniam est admodum tenuis, qui herpetem excitat; propterea ea uictus ratio conuenit, quæ ad frigidum, & humidum uergit, ueluti descripta est præcedenti capite de erysipelate, ad quod redeat, si quis scire uult. Deinde prius nutricis corpore purgato aliquo medicamento, quod flauam educat bilem, à qua sumitur indicatio istius morbi, quemadmodum descriptum est capite præcedenti, ad residuum ipsius curationis deueniendum est, quod perficitur ijs, quæ si particulæ

Gal.lib.2.ad Glauc.c.11.

CAVSAE.

SIGNA.

PROGNOSTICA.

Gal.lib 14. met.med. ca. 17.

VICTVS RATIO.

MEDICAMENT. RATIO.

laborãti imponuntur influentem humorem ipsum reprimũt, & repellunt, sed antequàm localia applicentur, hic diligenter animaduertendum est, si infans est in ætate annorum duorũ, uel circa, hac enim ætate tutò exhibere ipsi infanti poteris reubarbarum exigua quantitate, & si opus fuerit, R. reubarbari electi, & mundi, gran. xv. spicæ gran. ij. infundantur per horas octo in iure pulli, posteà fiat fortis expressio, cui adde sacchari optimi drac. iij. prædicti iuris q. s. misce, & f. p. & detur infanti per horas quinq; ante cibũ, manè; uel R. reubarbari electi, & mundi contriti gran. xv. sacchari rosati unc. s. misce, & f. b. At si infans ratione ætatis, aut pharmaci qualitate, ea suscipere non ualeat, sufficiat tibi, uel cum sero lactis, uel cum pauco puluere reubarbari, in iure pulli, uel cum passulis, cum ipso reubarbaro præparatis, uel cũ emulsione lactis nutricis, eo die, in quo ipsa nutrix bolum cassiæ sumpsit, uentrem aliquo modo soluisse, uel urinam, cum seminibus melonum, ordei, & similibus citasse. Nam in herpete uerò, quoniam tenuis humor est, qui id uitium creat, abunde est etiam aluum leuiter soluisse, uel urinas pro ea, quæ id modicè efficiunt, citasse. Mox ad localia deueniendum est, ut R. capreolorum uitis, plantaginis, foliorum rubi, portulacæ an. M. s. incidantur grosso modo, deindè bulliant omnia in s. q. aquæ, posteà contundantur, quibus adde olei rosati omphacini, resinæ an. unc. s. farinæ ordei, unguenti rosati Mesuæ, an. unc. s. misce, & fiat cataplasma, & loco affecto, prius abraso, si est in capite, & succo arantiarum abluto, apponito, & reiteretur, uel R. olei rosati omphacini unc. ij. sulphuris nigri drac. iij. misce, & mortario plumbeo benè ducantur, &

Gal. lib. 14. med. cap. 17.

ſimul immiſceantur, & adde unguẽti infrigidantis gal. vnc. i. miſce, & s. a. fiat linimentum, & adhibeatur; uel R. mellis vnc. i. aquæ quæ è uitis caudice, ſua ſponte, aut ignis ui expreſſus exſudat, vnc. ij. miſce, & inungito.

DE HERPETE EXEDENTE.

CAP. V.

AFFECTIO, Quæ herpes exedens à Latinis, & à Græcis ἐξεδίον uocatur differt ab herpete exquiſita, nam exquiſita à tenui, & ipſa à craſſiori, & acriori bile ortũ ducit, nec non differt etiã alio modo, Exquiſita .n. per cutẽ tãtũmodo afficit, excedens uerò & cutem, & ſubcutaneam carnem ulcerat, & exedit, à qua differentia, cum nomen ſit conſequens rei, denominatur exedens, cauſa tàm in exedente, quam in exquiſita communis eſt, ſcilicet bilis flaua, at in hoc morbo craſſior eſt, et acrior; ſign manifeſta ſunt propter exulceratas cutem, & carnem, ſed ulcera ipſa, & poſtulæ, cum interdum ſint profundiores, diuturniores etiam fiunt, & ſi ſanantur, ſinè totius corporis purgatione, denuò renaſcuntur, uel ad bubonem ducuntur, ut exemplo citato per Galenum manifeſtè apparent, ubi dicit, Romæ mulier quædam illuſtris, cùm herpetem in malleolo haberet, primum quidem medicamento, quod algam recipit, eſt uſa, hoc cùm protinus cicatrix induceretur, proxima illi ſumma cutis eſt excoriata, ueluti ex deſquammatis, cui, cùm deinde ſuperpoſitum medicamẽtum eſt, rurſus illi continua eſt exulcerata, idq; ità aſſiduè perrexit, donec ad genu exulceratio perueniret, cùm interim

Gal. lib. 2. ad Glauc. c. 1.

CAVSA.

SIGNA. PROGNOSTICA.

Gal. lib. 14. met. medic. cap. 17.

quiduis potius pati, quàm medicamento, quòd bilem traheret, purgari uellet. Itaq; etiam, quod fieri in talibus assueuit, quoniam pleriq; culpant nõ culpanda, damnato ex alga medicamento, aliud admoueri iussit, deinceps igitur eo, quod ex sandice componitur, utebamur, ut uerò id quoq;, quod exulceratum iam fuerat, sanauit, quod uerò nunc exulcerabatur non inhibuit, sed iam ad bubones, usq; uitium accenderat, ipsa necessitate coacta, serũ se lactis sumpturam annuit. Immittentes igitur clanculum minimum scamoniæ inuitam purgauimus, ac sanauimus. A quo excitati exemplo, laudamus antequam ad localia deueniatur, ut corpora tàm nutricis, quàm infantis modo, & forma, qua declaratum est, capite præcedenti, de exquisita, purgẽtur. Prætereà uictus ratio nutrici præscribenda est, prout capite de crysipelate dictum est, exceptis fructibus, & oleribus omnibus, quoniam propter crassitiem, & acrimoniam ipsius materiæ, peccantis ab ijs, quæ simul cum humiditate infrigidant, cauendum est. Et ad eundem modum obseruandum in curatione, quippè hic morbus ea non fert medicamenta, quæ præter id, quod refrigerãt, etiam humectant, sed sola admittit refrigerantia, quæ etiam ualdè exsiccãt, ueluti ℞. florum malorum punicorum M. i. gallæ utriusq; drac. iij. mirrhæ, thuris, aloes an. drac. i. aluminis fissi, radicis, aristolochiæ rotundæ, an. drac. ij. calaminthæ drac. s. conterenda conterantur, posteà addè unguenti rosati, mesuæ, unc. i. aquæ mellis q. s. misce, et in mortario benè ducantur. s. a. ad formam linimenti, uel ℞. pulueris boliarmeni orientalis, terræ lemniæ an. drac. ij. aquæ rosaceæ, aceti an. drac. iij. albuminis unius oui, omnia simul in mortario

PVRGATIO.

VICTVS RATIO.

MEDICAMEN. RATIO.

riò benè agitentur, postea panniculos madefactos in dicto linimento loco affecto superpone, & sæpè reiteretur, uel R. seminis lini arefacti, & in puluerem resoluti, lanæ ueteris succidæ, & illotæ in olla prius combusta, mox in puluerem resolutæ an. unc. s. uini astringentis, & aquæ rosaceæ an. q. s. ad dissoluendum misce, & pluma bis, uel ter in die madefacta in prædicto liquore illiniatur locus affectus, uel cretam cimoliã, solani succo dilutam inungito, uel spumæ argenti trientem, & porri cremoris cyathos septem, betæq; succi tantundem læuigata, illinito. Vel medicamentum, quod ex sandice componitur, apponito.

Paul. ægi: lib. 14. cap. 20.

Gal. lib. 14. met. med. ca. 17.

DE HERPETE MILIARI.

CAP. VI.

ETSI quædam istorum herpetum genera magis in alijs partibus corporis, quàm in capite accidant, & ut plurimum contingant; nihilominus ut omnes earum curatioues, simul inueniri possint, hic de omnibus pertractare decreui singulas ordine descripturus Miliaris. Igitur herpes est ægritudo, quæ à græcis uocatur ἕρπης κεγχροειδής, quoniã habet similitudinẽ milij, & ueluti Cenchris serpentis serpere uidetur; oritur tamen ab ipsa bile flaua, quæ parum cum pituita habet admistionis. Vacuabis nanq; inquit Galenus eum, qui redundat humorem, cæterum aliquandò medicamento, quod flauã purgat bilem, sæpè eo, quod nigram, modo eo, quòd mistæ est facultatis, quod scilicet bilem, simul, & pituitam educat, ueluti in altero herpetum genere, quem à similitudine, quam habet

DEFINIT. MORBI.

CAVSA.

Gal. 14. met. med. cap. 17.

bet cum milio, cenchriam Græci appellant. Quippè is non protinus ulcus facit, quemadmodum alter, sed admodum exiguas pustulas ad speciem milij, quæ ipsæ interposito spatio in ulcus conuertuntur, adeò non sine ratione, quibusdam uisum est, in eiusmodi uitio bili esse aliquid pituitæ admistum, undè perficitur indicatio. Propterea cum pustulæ ipsæ abeunt in ulcus morbus fit diuturnior, & si curetur antequam fiat ulcus, à principio, citò curatur. Nutrici igitur, & infanti, si per ætatem licet, uictus ratio eodem modo, quo in capite de erysipelate statutum est, instituatur. Iniungendum uerò, & concoquendum est in ferculis semper parum mentæ, petroselini, aut fœniculi, & cauendum est a fructibus, & ab alijs infrigidantibus oleribus. Nàm in herpete, in superficie hærente mitissima adhibeamus; miliaribus uerò magis discussoria. Quare neque lactucam, neque semperuiuum, neque quicquam aliud refrigerans adhibemus; Attamen bibere poterit aquam coctam, cum cinamomo, aut seminibus coriandrorum, uel iura carnium. Quæ uerò pertinent ad curationem, nunc absoluenda sunt. In primis à nutrice medicamento, quod mista est facultatis, utendum est, scilicet, quod bilem simul, & pituitam educat; Quapropter per horam unam ante cibum, sumat bolum istum, ℞. electuarij lenitiui, diacatholicon an. drac. v. agarici præparati drac. ij. misce, & cum saccharo f. b. uel ℞. syrupi rosati solutiui unc. ij. s. agarici præparati drac. ij. aquæ cichoreæ q. s. ad dissoluendum misce, & f. p. postea per dies quinque quotidiè mane, sumat syrupum hunc, ℞. syrupi acetosi simplicis unc. i. oxymellis simpl. unc. s. aquarum endiuiæ, cichoreæ, boraginis, an. unc. i. misce pro uno syrupo, & sic

SIGNA.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

Aetius lib 14. cap. 60.

RATIO MEDICAMEN.

Gal. ibid.

ſic pro alijs, deindè ſumptis quinq; ſyrupis, herpete adhuc perſeuerante, ſumat in ſequenti die in diluculo per horas ſex antè cibum, infraſcriptã medicinam, ℞. reubarbari electi, & mundi drac. i. ſpicæ grana iij. infundatur reubarb. s. a. in uino albo per horas octo, poſtea f. fortis expresſio, cui adde ſyrupi roſati ſolutiui unc. iij. agarici præparati drac. i. s. decoctionis florum, & fructuum cordialium q. s. ad diſſoluẽdum miſce, & fiat p. uel alio modo in forma pilularum, ℞. pilularũ ex agarico, meſue ſcrup. ij. s. ex rabarbaro agregatiuarum an. ſcrup. i. miſce, & reformẽtur, cum ſyrupo uiolato p. v. & inaurentur. At eo die, quo ſumit medicinam ſolutiuam, ut dictum eſt à principio, non lactet infantem. Verum ſi infans ſit annorum duorum, uel circa, tutò exhibere ei poterit rabarbarum eo modo, quo declarauimus capite præcedẽti, uel drac. i. agarici præparati cum panatella, aut ſaccharo roſato, admiſti per horas tres ante prandium. Vltimo loco, corpore ſic prius purgato, mox ea, quæ influentem humorem reprimunt, & exſiccant, loco affecto infantis imponenda ſunt. Nàm in principio facta purgatione, pampinos uitis, rubiq;, aut polygoni, aut plantaginis folia imponemus. Poſteà uerò his etiam lenticulam, & mel, & polentam miſcebimus. Prætereà ℞. pulueris acatiæ, myrrhæ, thuris, ſulpharis an. drac. ij. & cum ſucco plantaginis q. s. ad incorporandum in mortario plumbeo, miſce donec reducatur ad formam linimenti, & ex eo ſæpè in die pars affecta liniatur, uel ℞. ſandalorum, corticum granatorum, boli armeni orientalis an. drac. ij. macerentur omnia per horas octo, in s. q. aceti albi, poſteà ab aceto ſeparentur, & in mortario plumbeo, benè agitentur, & contundan

Aetius lib. 14. cap. 60.

rundantur, & adde aquæ rosaceæ q.s. misce, & f. linimentũ, de quo sæpè, cum penna illine. Vel ℞. plumbi recrementi, floris æris, sulphuris, citrini adusti an. drac. ij. conterantur omnia, posteà adde succi baccarum myrti unc. s. uini astringentis, q.s. ad immiscendum misce, & in mortario s. a. fiat linimentum, & utere.

DE ACHORIBVS.

CAP. VII.

CVM Vlcuscula quædam in capitis cute infantis accidunt, ex quibus continue fluit uiscida, & glutinosa sanies, & ualdè tenuibus foraminibus eroduntur, græcè ἀχῶρες, & latinè, teste Plinio manantia ulcera, & à nonnullis etiam à tinearum in uestibus similitudine, dicuntur tineæ. Causa istius affectionis, est nitrosa salsaq; pituita, sententia quidem mea est, mistio humoris biliosi, cum ipsa pituita, id quod manifeste apparet ex ipsorum ulcusculorum colore croceo, & uiridi, & pruritu mordicantium, scalpendiq; ardorem incitantium. Et si statim non curetur hic morbus, cum inueteratus fuerit, indeciduum capillicium currit, & in alopeciã, & ophiasim, & ad exulcerationem in cute usq; ad carnem facile uertitur. Propterea statim ad curationem properandũ est. Et quod attinet ad uictus rationem, aer ad siccum, & frigidum potius declinans eligatur, Nutrix solis, & ignis æstus euitet, in cibo omnia acria, acetosa, salsa, et omnia, quæ facilè conuertuntur in bilem, ut olera, & fructus omnes, & præcipuè fugaces, & dimittat omne, quod habet dulcedinem

DEFIN. MORBI. Gal. lib. 1. de comp. med. sec. loc. c. 8.

CAVSA. Paul. ægid. lib. 3. cap. 3.

SIGNA.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

Auic. lib. 4. F. 7. trac. 3. c. 2. Paul. ibidem

Auic. ibid. superfluam, aut amaritudinẽ, aut acuitatem, & utatur melioris succi cibo, & facilis concoctionis, & insipido sit contenta; Exercitationi incumbat assuetæ; somni solito breuiores sint, & diurnum post cibum omninò euitet, quotidiè aluus à fæcibus, uel sponte, uel clysterè communi purgetur: Curãdi uerò ratio, quemadmodum ab indicatione istius morbi sumitur

RATIO. MEDICAMEN.

exsiccatione, discussione, & refrigeratioue perficitur, hoc pacto per horam unam antè cibum nutrix sumat uel bolum, uel potionem descriptam in præcedenti capite, de herpete miliari, & si etiam influat amplius humor, prohibendus primũ

Gal. ibidem

est ipsorum influxus per capitis euacuationem, atq; potius corporis purgationem, modo, quo in præcedẽti capite, à nobis descriptum est. At uerò si parua affectio existat, sola localia, & partialia appellata remedia, citra totius corporis euacuationem suffecerint. sed hoc intellige, aut in nutrice, aut in adultis. Purgatio enim in infantibus, ut à principio dictum est, ualde timenda est. Verum si infans erit ætatis annorum duorum, uel ultra, non absurdum erit ei exhibere rabarbari. electi, contriti, scrup. s. uel cum iure pulli, uel cum saccharo rosato, aut cum passulis s. a. præparati, uel agarici præparati drac. i. cum saccharo rosato; sed antequã ad localia deuenias, prius capilli abraso capite, tollantur, postea bis, aut ter ex lixiuio calido, in quo prius ebullita sit myrtus, aut rubus, aut lens, aut lupini amari, aut asparagi radix, aut bryoniæ, locum affectum ablue, & foue, Mox R. succi baccarum myrti, foliorum rubi, plantaginis, salicis, & polygoni an. unc. s. misce, & illine; Et omnia quæ facultate sua incidant, discutiant, & repellant, conueniunt, ueluti est acetum, quod exquisi-

Purgatio pro Pueris annoz 2. uel trium

Gal. ibid.

Gal. ibid.

te

te acidum sit, in quo nulla penitus uini qualitas appareat. Hoc ipso sanè, pharmaca, metallica, appellata, modo hoc, modo aliud imbues, achoribusq́ ex eis medeberis. Sed animaduertendum, quòd semper à leuioribus, & imbecillioribus incipere præstat; præsertim in infantibus, & cum dolor simul in ipsis achoribus adest. Rectè enim Galenus inquit, Apollonius in primo de parabilibus, ad achoras sic scripsit. Rosaceo oleo caput illine; deinde post hoc betæ succum similiter illine. Tertio deinceps testudinis sanguinem eodem modo adhibe. Quartò laurino oleo caput illine; Et quinto crocino unguento inunge. Ex his sanè primum debilissimum est pueris, & mulierculis, teneræ carnis in principio affectionis utile existens; concoquit enim, & discutit, ac moderatè repellit; at uero testudinis sanguis, curiosum, & superuacaneum est pharmacum; Laurinum autem fortiter calefacit, & discutit, opusq́ habet corporis totius, & capitis euacuatione, quo discutiat humores, achoras facientes. Ego uerò sæpè expertus sum subscriptum unguentum, quo nonnullos infantes curaui, inungendo tantummodò ac tertio die in tertium achoras ipsis, ℞. pulueris rosarũ, pulueris bryoniæ, fimi colũbini, æris uiridis. sulphuris an. drac. ij. olei iũiperi q. s. misce, et omnia simul in mortario benè terãtur, donec reducãtur ad formam unguenti. Prodest etiam fœnigræci decoctũ affrictũ, malua cum uino, & farina ordacea subacta. Itẽ melilotũ cũ farina fœnugræci, & uino impositũ. Verùm si sanies ex ipsis achoribus, ualdè adhuc abũdauerit, tũc ℞. terræ lẽniæ, cimoliæ, et samiæ, põpholygis, spodij, spumæ argẽti, cadmiæ an. dr. i. terãtur oĩa subtilissimè, posteà adde olei rosacei omphacini q. s. misce, et

Gal. ibid. circa med.

 illine.

Aetius lib. 4. cap. 22. illinc. vel R. spumæ argenti, cerusæ utriusq; bessem. seminis ericæ, thuris, utriusq; drac. iiij. uino, & oleo raphanino terito, ac utere. Vel R. acaciæ fuluæ unc. i. laudani trientem, mirrhæ, sextantē opij drac. i. aqua palustri excipe, & forma pastillos, & utere assiduè, quòd si ex his morbus non quiescat, medicamentum ex charta siccum, aceto dilutum, illinendū, uel ex sola charta exusta, & aceto diluta, illinendum.

DE FAVIS.

CAP. VIII.

DEFINIT. MORBI. QVIDAM Morbus etiam in infantibus inuenitur achori similis, maioribus tamen faraminibus, in quibus sanies melli similis instar faui continetur, propterea à latinis cerium, seu fauum dicitur, Græci uerò χηριον uocant. Causa istius affectionis, una cum achoribus est. Signa circa

CAVSA. SIGNA. ulcera, hoc modo, innotescunt; squammæ apparent, cum immenso pruritu, & quod fluit instar mellis est. Et pars progno-

PROGNOSTICA. stica habet eandem rationem, quam ea, quæ ex achoribus declarata est. Curatio etiam similis est, nihilominus caput de-

RATIO MEDICAMEN. radendum, & ex decocto maioranæ, chamæmeli, mentastri, stæchados, & thymbræ, quotidiè abluendum est, posteà cum unguento hic descripto inungendum. R. lithargyrij, cerusæ, an. unc. s. sulphuris, hydrargiri an. drac. ij. olei rosacei. drac. iiij. aceti drac. ij. omnia simul in mortario commisceātur, donec suscipiant formam unguenti, quo bis in die, manè, et sero post suprascriptam ablutionem inungatur.

DE

DE TINEA.

CAP. VIIII.

SI Achores, aut faui male, aut tardè curentur, aliquandò accidit infantibus morbus ille, qui dicitur tinea, quem etsi multi sub nomine ipsorum achorum à tinearum in uestibus similitudine, etiam comprehendi arbitrantur, nihilominus, mea, quidem sententia, differt tinea nostra ab achoribus, quia achores sunt capitis ulcera (ut capite proprio dictum est) manantia, & tenuissimis foraminibus, cutem perforantia, ex quibus sanies effluit glutinosa. Et tinea non solum ulcerat, sed cum fetore, & crustis, & capillorum deciduo deturpat caput, & totum aspectum; Ex Græcis nullum uidi, qui hoc nomine morbum ipsum descriptum habeat, forsan sub achoribus eum cõplectentibus, ex Arabibus uerò Auicenna (ni fallor) nomine sahafati sicci eundem explanauit; Et Auenzoar duobus capitibus scripsit de tinea, & de achoribus humidis. Causa ut plurimum ab humore malancholico originem trahit; stimulantibus aut excitantibus achoribus ipsis, aut mala uictus ratione, aut contagione. Signa satis nota sunt, ut dictum est superius. Et quia tinea ipsa dupliciter diuiditur; Vna, quæ est mitis, & recens, Altera uerò quæ est antiqua contumax, & rebellis; quæ mitis, & recens est, facile curatur, & contingere potest lac sugentibus infantibus; antiqua uerò cum sit difficilis curationis, & infantibus lacte alẽdis haud quaquam contingat, nobis prætermittenda est, & de mitiore agendum, quæ etiam nisi rectè curetur, sæpè in lepram, & pediculorum abundantiam terminatur. Victus ratio

DEFINIT. MORBI.

CAVSA.

SIGNA.

PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

ratio instituenda est in omnibus sex rebus, non naturalibus, uergens potius ad humidum, & calidum, quàm ad siccum, et frigidum, ut morbi indicatio nobis ostendit; Nutrix uel infans, si quid comedit, omnia euitet, quæ dulcia sunt, quales dactyli, & omnia acria, acuta, salsa, crassa, & nimis calida. Comedat panem benè fermẽtatũ, carnes uitulinas, hædinas, & aues terrestres, cum pauco aceto paratas; Confert enim, at acetum solum noxium est. Bibat uinum album, tenue, & aquosum. Aluus quotidie deijciat, uel spontè, uel arte, ità ut dictum est, à principio, euitet uigilias noctis, somnũ diurnum, & animi perturbationes, exercitationi incumbat.

Auic. lib. 4. F. 7. trac. 3. c.

RATIO. MEDICAMENT.

Deindè causa curationis istius morbi in primis ad euacuationem materiæ peccantis deueniendum est. In nutrice igitur euacuanda est, cum exhibitione electuarij lenitiui, & reubarbari, & in infante, cum agarico, uel reubarbaro, eo modo, qui declaratus est in capite de achoribus, ad quod reuertatur. Posteà sic peracta euacuatione, capilli in primis à capite auellantur, mox ex puluere nitro, & sepia an. unc. i. fricetur totum caput; Deinde de tertio in tertium, ex decocto in capite præcedẽti descripto, abluatur, adeò ut una die, fricetur, & depiletur, & altera abluatur caput, & post eius exsiccationem oleo amygdalarum dulcium, aut nucum inunge, & si opus fuerit, cum fortioribus inungere, unguento descripto in capite præcedenti inungito.

DE SIRIASI.

CAP. X.

CIRCA Cerebrum, seù membranas ipsum cerebrum amplectentes, quarum, interior pia, exterior uerò dura, mater uocatur; in infantibus oriri solet affectio, quæ à Plinio ardor capitis uocatur, & à Græcis σειρίασις nominatur, quamuis Aetius dicat, siriasim ipsam esse in infantibus partium cerebri, & membranarum inflammationem, & Auicenna morbum hunc erysipelatem esse arbitratus est, sed quomodocunque sit originem, seu causam trahit à bile flaua, ut indicant signa, quæ sunt sincipitis dolor, & inflammatio à cauitate cuius syriasis appellata est, σειρός enim græcè fossa, seu corpus cauum dicitur; Nec non inter signa etiam istius morbi inseparabilia sunt, oculorum cauitas, cum rubore, & pallor in facie, febris ardens, corporis siccitas, et prostratus appetitus. Et ut plurimum morbus ipse triduò interficere solet. Verum si temporis illius spatium superauerit, tunc salutis spem procul dubio habere poterit. Quibus enim cerebrũ sphacelatũ, idest corruptũ est, ij, tribus pereũt diebus. Si uerò hos euaserit, sani fiunt, et uelox in eo mors est, quia, et morbus grauissimus, et pars principalis maximè est affecta. Curatio uerò huius ægritudinis perficitur ea uictus ratione, purgatione, & medicamẽtorũ localiũ administratione, quæ in capite de erysipelate fusius descripta est, ad quod se referat. Verũtamẽ si aliquid iniũgere licet, fiat ut indicatio nobis ostẽdit, frigidis, et humidis, prout est succus melonis, citrulli, cucurbitæ, cucumeris, et portulacæ, uel leniamus, & mediocriter frigefaciamus caput co-

riandri

Plinius lib. 20. cap. 3. Aetius lib. 4. cap. 13. Auic. lib. 3. F. 1. trac. 3. cap. 5. DEFIN. MORBI. CAVSA. Aetius ibid. SIGNA. Auic. ibid. PROGNOSTICA. Hip. lib. 7. aphor. 50. Gal. ibid. in com. VICTVS RATIO MEDICA. RATIO. Aetius ibid.

riandri succo cum rosaceo humectantes; sed & totum corpus ex hoc illinatur, aut cucurbitæ ramenta sincipiti impone, aut uitis folia, aut portulacam, cum rosaceo tusam, aut heliotropij scorpiuri succo sinciput illine, aut oui luteum, cum rosaceo concutito, & sincipiti illinito, & assiduè permutato.

DE INFLATIONE CAPITIS AB AQUA EXTRA CRANEUM. CAP. XI.

DESCRIPTIO MORB.

SIGNA.

CAVSAE.

INFLATVR caput in infantibus, ut plurimum, paulò ante natis, adeò ut interdum caput ferre non posse uideantur: quem morbum κεφαλης εμφυσηματα greco sermone, & latino, capitis inflationem esse dicimus. Et generatur aliquandò, uel ab aqua præter naturam in ipso capite coaceruata, uel à flatuosa materia, & cùm sit ab aqua, ægritudinem ipsam Græci υδροκεφαλον uocant, latini aquam in capite congregatam, de qua nunc primum pertractare uolentes operæ pretiū est, ut ante omnia affectio ipsa bifariam diuidatur; Aqua enim ipsa duplici modo, uel intra craneum generatur, pro ut in sequenti capite declarabimus, uel extra. Si extra, causæ tùnc erunt, ut plurimum cum obstetrix errat, & comprimit caput, & separat ipsum, & aperiuntur orificia uenarum, & currit ad illud, quod est sub cute, sanguis aquosus; Et quandoq; sunt humores alij, ab humiditatibus aquosis. Vel etiam, mea quidem sententia, fieri poterit ob incuriam nutricis, aliquo ictu, uel casu, uel alio modo, in nutriendo, uel capite pannis inuoluendo, ultra modum stringentibus, uel lædētibus, unde commissuræ aperiuntur, & exprimitur aquositas illa, quæ

Auic. lib. 3. trac. 3. cap. 11.

ALIAE CAVSAE.

in cerebro uiget ad exteriora cranei inter cutem, & cranium, & sic caput inflatur. Signa satis innotescunt; inflatio enim cutis capitis adeò extenditur, ut uidere ultrà ipsam aquam possimus, & grauitas extra craneum sentitur, quam infans facile explicaret, si uerbis exprimere posset, & facile tactui cedit inflatio ipsa, infantis assiduus eiulatus, & uigiliæ. Obseruandum uerò est, ne infans ipse ægrotus spasmum incidat, mortem enim portendit. Victus ratio nutrici instituatur, hoc pacto, aer eligatur uergens ad siccum, & calidum, & si opus fuerit cum igne, et odoribus in cubiculo alteretur, exerceat se quotidiè mane, & uesperè horam unam antè cibũ, & frictionibus indulgeat, caput suum, & pariter caput infantis pectinet, uentrem ab excrementis euacuet, uel spontè, uel arte, uigiliæ sint longiores solito, somni breuiores; & post cibum, diurnum somnum omninò euitet, utatur cibis boni succi, & facilis concoctionis, exsiccantibus, assis, uel frixis, ueluti sunt carnes columborum, & omnium auium terrestriũ, uitulorum, & hædorum. Panem biscoctum cum seminibus anisorum, & pauco sale subactum comedat. Vinum paucarum uirium bibat, sed satis maturum, & sitim toleret, parum bibendo. Euitet fructus omnes, præter nuces, amygdalas, & auellanas, & etiam omnia olera, præter saluiam, maioranam, & ocymum. Euitet legumina, & omnia flatuosa, unctuosa, & humida. Indicatio istius curationis duobus modis perficitur, uno cum localibus exterius adhibitis ad caput infantis, altero incisione per chirurgiam; quæ applicantur exterius, debent habere facultatem exsiccandi humiditatem, & cerebrum corroborandi ueluti, ℞. olei chamæme-

SIGNA.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO

MEDICAMENT. RATIO.

lini,de lilio,an.unc.ij.ſucci maioranæ, drac.iiij. pulueris thuris,ſulphuris an.unc.s.miſce,& bis in die,manè, & ſerò, caput infantis calide inunge;poſteà pannum ex lana calidum ſuperpone,& per dies quinq; quotidiè inungatur; Deindè urgente morbo applicetur hoc cataplaſma; ℞. ſtyracis, olibani, ſarcocollæ,gummi arabici an.unc.i. liqueſiant in uino albo ſtyptico q.s.deinde adde farinæ fœnigræci,fabarum,ſeminum lini an. unc.i. olei anethini unc.iij. miſce,& s. a. fiat cataplaſma,quod ſuper linteolum extenſum ſuperponatur capiti, & ligetur. Vel alio modo ℞. pulueris florum chamæmeli,thymi,calamenti,origani,ſerpilli,gallarum cupreſſi an.drac.ij.nucis muſcatæ,gariophylorum,cinnamomi,croci,corticum citri, macis an. unc. s. ceræ liquefactæ unc. iij. ſucci maioranæ unc.ij.miſce; s. a. & fiat emplaſtrum, & calidum applicetur; ſternutamenta etiam præſtant,uel cum puluere ſeminis ſinapis,aut piperis,uel cum puluere ranunculi,aut hellebori albi,uel cyclamini,moderatè in naribus infuſis. Per chirurgiā uerò aqua ipſa extrahi debet,hoc pacto; In primis in ipſo infante,uentre exonerato,uel adhibito ſuppoſitorio, uel clyſtere communi, fiat inciſio cutis capitis in ea parte, uel ſecundum latitudinem,uel longitudinem,ubi magis propendet materia, ut facilius exeat; nam ad quem locum uergit natura,eo ducere,& educere humorem noxium, conuenit. Verùm cum ſit inciſio ipſa,omni diligentia illud attendendum eſt, nè ſemel uno,& eodem tempore,tota aqua ipſa extrahatur. Etenim ſimul cum ipſa exeunt ſpiritus uitales, & uires reſoluuntur. Propterea paulatim,duorum,uel trium dierum interuallo, euacuanda eſt. Et ſtatim poſt inciſionem, panniculi inferius

Gal. lib. 1. aphor. 21.

ferius

ferius descripto linimento infusi ponantur supra ipsam incisionem, R. olei rosati completi, chamæmelini, uini nigri styptici an. unc. ij. omnia benè simul misceantur, & utere. Vel R. olei rosati omphacini, olei hyperici an. unc. iij. misce, & cum ligatura satis forti, & stricta, caput post inunctionem, ligetur, & sic procedatur usq; ad consolidationem, et perfectam resolutionem morbi; Et si opus fuerit, in dictis oleis addantur pulueris myrrhæ, & thuris q.s. quoniam exsiccant; Extrahitur etiam alio modo aqua ipsa, admouendo moderatè caustica medicamenta ad occipitium, uel ad sinciput, secundum exigentiam loci affecti, & si in incisione caro nimis tardare uideatur eius generationem, os eius leniter radatur. Auic. ibidem

DE INFLATIONE CAPITIS AB AQVA INTRA CRANIVM.

CAP. XII.

CONGREGATIO Aquæ, ut dicunt latini intra cranium, & Græci υδροκεφαλον εντος κρανιον causam trahit, aliquandò à positura infantis in utero matris, ex qua cum caput propendeat, & omne graue deorsum tendat, substantia illa aquea ex suppressione menstruorum retenta, facilè ad ipsum caput defluit, & ibi facilè retinetur, cum ob capacitatem ipsius loci affecti, tùm etiam propter naturam ipsius cerebri humidam, & augetur propter malam uictus rationem matris humidam præteritam, seu uaporosam, dum in utero ferabatur infans. Signa

DESCRIPTIO MORB.

CAVSA.

SIGNA.

nobis innotescunt propter tumorem, quia non adeò magnus est, ut quod extra craneum est, & uigilias, et ploratus, & grauedinem, quæ sentitur interius, et quia oculi claudi nō possunt, assiduè lachrymantes, intuentesq́, aperti quasi semper in unū locum. Propterea hic morbus difficulter suscipit curationē, & periculum mortis imminet, tùm propter cerebri uicinitatem, tùm propter infantis uirium imbecillitatem. Quamobrē indicatio istius curationis, superat humani ingenij uires, & potestatem hominis, nihilominus exsiccationibus, calefacientibus, & cerebrum corroborantibus perficitur. Quapropter uictus ratio conuenit, quæ præcedenti capitulo descripta est. Medicamentorum uerò remedia supra caput, & infra aures, & nares applicanda sunt, ueluti R. limaciarum cum testis earum numero 30. maioranæ M.i. contundantur omnia simul, posteà adde pulueris camphoræ, croci an. drac. s. & cum oleo chamæmelino q.s. misce, & f. emplastrum, & calidum capiti apponatur, & non remoueatur, donec per se cadat, deinde R. pulueris sulphuris, thuris an. drac. i. pulueris sagapeni, euforbij an. scrup. s. olei chamæmelini amygd. amararū, de behen, de lilio an. drac. s. misce omnia simul, & quotidie manè semel tantum, tres, uel quatuor guttæ istius liquoris ad summum imponantur auribus. Posteà R. pulueris nucis myristicæ, quam muscatam uocāt, charyophylorū an. scrup. i. pulueris cubebarum, cāphoræ, radicis acori, corticis thuris an. drac. s. aquæ maioranæ, absynthij an. drac. iij. misce, et posteà quadam penna in utranq́ partem narium immissa insufflettur, corroborādo sæpè cerebrum odoribus optimis, ueluti musco, ambra, & camphora, & eo modo perseueretur quotidiè,

Auic. lib. 3. trac. cap. 11.

VICTVS RATIO.

RATIO MEDICAMEN.

usq;

usq; ad resolutionem materiæ, cuius si spacio dierum quindecim, uel uiginti, non fiat ipsa resolutio, tunc ad incisionem, & perforationem ossis cranei deueniendum erit, & in hoc adhibenda est per peritum chirurgicum maxima diligentia, in facienda perforatione, in ea parte, in qua sæpius caput inclinare uideatur; Et cum facta fuerit perforatio, cauendum est, ne aeris frigiditas, uel humiditas caput infantis lædat, immò semper calidum conseruandum est, & aqua post perforationem extrahi debet, paulatim pluribus uicibus, ne uirtus infantis facilè succumbat, & cum panniculis madefactis in oleo chamæmelino, & melle rosato super incisionem, & perforationē positis curetur, donec tota aqua extracta fuerit, posteà ad consolidationem incisionis, secundum præcepta artis deueniendum erit.

DE INFLATIONE CAPITIS A FLATV.

CAP. XIII.

INFLATIO Capitis à flatu, ut dicunt Latini, & Græci κεφαλης εμφυσηματα, est affectio, quæ ut tympanites in uentre à spiritu flatuoso generatur, ita & ipsa, uel à mala lactis nutricis, uel a loci, uel ab aeris ambientis qualitate præterita, fit. Spiritus enim flatuosus sub cute aliquandò, interdū sub membranis ossa, uel musculos ambientibus, collectus inflationem producit. Etenim dum calor imbecillis est, sub multa humiditate cruda, & uiscida contentus, & suppressus, cum exsuperare eum nequeat, propter eius imbecillitatem, suturas infringit, dilatatq;, & foras erumpit. Propterea infla- DEFINIT. MORBI. CAVSAE. Paul. ægin. lib.4.cap.28. SIGNA.

tio

tio ipsius capitis, uigiliæ, dolores, & fletus præter consuetudinem sunt istius ægritudinis signa. Verum si alui fluor superuenerit malum, ita & febris; Propterea timendum est, & tempestiuè ad curandum deueniẽdum. Victus ratio instituatur nutrici, quemadmodum instituta est in capite de inflatione ab aqua extra craneum, & si quid iniungendum est, mea quidem sententia, tantum obsonia, & fercula parari debent cum pipere parumper fracto, uel cinamomo, origano, apio, saluia, fœniculo, cymino, & similibus. Indicatio autem curationis perficitur, ijs, quæ raritatem ipsius cutis capitis inducere, uel crassiorem spiritum extenuare ualent; ueluti ℞. olei chamæmelini lib. s. seminum rutæ, apij, anisorum, cymini an. dr. iij. bulliant omnia simul, posteà panniculos madefactos ipso oleo capiti superpone. Deinde ℞. origani castorei, cymini contriti an. grana i. lactis nutricis q. s. ad dissoluendum misce, & infanti tribue, Et in auribus oleum de been, amygdalarũ amararum, & anethinum an. partes æquales infunde quotidiè manè, & serò. In nares uerò aquam maioranæ immitte, cataplasma quoq; præscriptum in capite ab aqua extra cranium apponito, & sic perseuerato usq; ad resolutionem ipsius flatus.

Auic. lib. 3. F. 1. trac. 3. c. 11.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO

Paul. lib. 4. cap. 28.

RATIO MEDICAMEN.

DE TERRIBILI SOMNO.

CAP. XIIII.

DESCRIPT. MORB.

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. c. 3 circa finem.

ACCIDIT aliquandò in infantibus dormientibus affectio quædã quæ à latinis dicitur terribilis somnus, & à Græcis ὕπνος δειματώδης, uel δειματοποιός & causa istius

mor

morbi, est nimia repletio lactis, aut cibi, in uentriculo facta, & ijs infantibus præsertim, qui sunt natura edaciores, quandò loca ad uentriculum pertinentia, sensu quidem uigeant, sed imbecilla existant; cibus uerò corrumpitur. Nos si quidem obseruauimus non in infantibus solum, sed etiam in ætate prouectis, terribiles fieri per somnos imaginationes. Signa nota sunt in somno; exterrefacti enim sine mora in pauorem, & clamorem aliquandò incidunt. In uigilia uerò calor præter naturam in stomacho accumulatur, & ex ore infantis odor fœtidus exire percipitur. Quod si hoc uitium perseueret periculum est, ne incidat in epilepsiam. Indicatio uerò istius morbi perficitur, nutrici exhibendo melioris succi, & facilioris concoctionis solito, cibum. Et lac infanti in minori quantitate solito, prohibendo, cum ipse infans habet repletionem lactis in stomacho, ne dormiat quousque lac descendat, nec non quotidie exhibendo infanti ipsi, ieiuno stomacho, mellis puri, & in melius despumati, per tres dies continuos, cocleare semis pro qualibet uice; Abstergit enim mel stomachum à lacte, & expellit ad exteriora. Præterea si opus fuerit, aluo non deijciente, fiant suppositoria ex simplici melle in principio, posteà adde salis gemmæ q. s. & inijciantur, quoniã ad inferiora lac corruptum trahunt.

CAVSA.

Gal. lib. 1. aphor. 24. in comm.

SIGNA.

IVICTVS RATIO.

Auic. ibidem

DE VIGILIIS.

CAP. XV.

ETSI modũ et rationẽ de somno infantibus cõciliãdo, capite proprio, libro secũdo huiusce artis, abũde docuimus; nihilomi

hilominus, quia ipsis infantibus insuetæ uigiliæ adeò intensæ accidunt, ut nec positio papillæ mamillarum in ore ipsorum, nec motus, seu agitatio in cunis, nec uocis modulatio, nec inuolucrum exquisita munditíes iuuent, & tollant uigilias ipsas, quia omninò modum excedunt, & præter naturam sunt, & rationem morbi assequi uidentur. Somnus enim, & uigiliæ utraq; modum excedentia morbus. Vigiliæ uerò haud quaquàm ipsis sunt assuetæ, ut qui maiori parte temporis dormiant, nisi fortè ob ipsam passionem fieri infantibus uigilias opinemur, quoniam somni abundantia ipsis maximè secundum naturam inest. Verum quia affectio ipsa diurno, & nocturno tempore perseuerat, latino potius excubiæ, quàm uigiliæ, & græco sermone παννυχίδες uocantur, & originem trahunt à nimia copia lactis, in uentriculo sumpti, cum nimia etiam assumendi auiditate. Quapropter stomachus oppressus, ità, ut digerere, & concoquere non possit, transmittit uapores crudos ad caput, qui uigilias, & pauores prouocant. Signa manifesta sunt, uigiliæ scilicet, & ploratus; Et quia in longis uigilijs biliosior redditur sanguis, & magis exsiccatur corpus. Propterea timendum de febre hectica. Aer igitur eligatur obscurus, potius ad calidum, & humidum, quã ad siccum, & frigidum uergens. Nutrix utatur in cibo ijs, quæ somnum inducunt, ueluti lactuca, summitatibus papaueris albi, & seminibus, & decoctionibus earum, et similibus, & uescatur melioris succi, & facilioris concoctionis cibis. Deindè, morbo perseuerante, si opus fuerit, R. corticum papaueris albi subtiliter cõtriti, unguenti populeonis an. drac. ij. olei rosati, lactis nutricis an. q. s. misce, & s. a. f. linimentum,

Hip. lib. 7. aphor. 67. Gal. lib. 3. aphor. 24.

DESCRIPTIO MORB.

CAVSA.

SIGNA.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MEDICAM. RATIO. Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. c. 8.

& ex eo circa tempora, frontem, & commissuram coronalē infanti inūge, uel ℞ pulueris subtilissimi papaueris albi, amomi, aloes an. drac. ij. olei de lactuca, papauerini, an. q. s. ad dissoluendum, & incorporandum misce, et s. a. fiat linimentum, & locis prædictis inunge. Quidam uerò etiā exhibent opiata, prout de requie nicolai scrup. i. dissolutum cum lacte nutricis, sed animaduertant studiosi, quòd in omnibus hominibus humidum cerebrum est, at in infantibus humidissimū; propterea periculum est, ne exhibendo eis opiata, incurrant in epilepsiam, uel apoplexiam. Igitur melius, uel tutius est, ut nutrix bene regatur, alterando lac frigidis, & humidis, & idem pro cibo exhibendo ipsi infanti tanta quantitate, quantam stomachus ferre possit, & concoquere, inungendo, ut supra statutum est, quoniam sic tutò, & incunde curabitur.

DE EPILEPSIA.

CAP. XVI.

SI infanti lac sugenti, detentio repentina mentis, & sensuum omnium contigerit, morbus ille, latine dicitur comitialis, seu regius, Græcè autem ἐπιληψία, cuius causa duplex est, uel ex intemperie ingenita cerebri frigida, & humida; Epilepsia enim plurimum accidit pueris ob eorum humiditates, uel ex aliqua externa, & accidentali causa, ueluti ex casu, & ab humore frigido, & crasso, à mala uictus ratione præterita, genito. Signa sunt mentis detentio repentina, ut dictum est supra, sine sensuum motu; cum spuma ab ore profluente; Et quibuscunq; morbi comitiales fiunt, ante puberta-

DEFINIT. MORBI.

CAVSA.

Auic. lib. 3. trac. 5. F. 1. cap. 8.

Gal. lib. 2. aphor. 45. in comm.

SIGNA.

Hip. lib. 5. aphor. 45.

PROGNOSTICA. tem, mutationem accipiunt; quibuſcunq; autē uigeſimo quinto anno fiunt commoriuntur. Propterea in infantibus, ſi recte curentur, bene eſt ſperandum. Vnde aer in primis omnino de uno in alium locum mutetur, & mutatio fiat ad ſiccum, & calidum, ut ipſius Hip. doctrinam obſeruemus, dicentem. Quicunq; iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & uictuū quoq; liberantur. Nutrix igitur utatur cibo melioris ſucci, & facilis concoctionis, in quo comedere inter olera poterit betonicam, boraginem, ſaluiam, maioranam, petroſelinum, & fœniculum, & flores betonicæ, boraginis, & ſaluiæ, & ſemina pæoniæ; inter aromata nuces muſcatas, gariophyllos, zingiberum, cardamomum; inter fructus pyra cocta, amygdalas, & auellanas, & mala cydonia. Comedat carnes uitulorum, hædorum, & auium terreſtriū, ut perdicum, turdorum, alaudarum, phaſianorum, et ſimiliū; comedat panem bene fermētatum, & ſatis coctum; Bibat aquam mellis, cum ſaluia decoctam; Euitet omnia alia olera, et uinū, et acria, et caſeoſa, lacticinia, alliū, raphanū, porrū, cæpā, legumina, cibos ex paſta confectos, carnes bubulas, ouillas, & ſuillas, & piſces omnes, non comedat ante digeſtionē, & fugiat cruditates, tā in ipſa nutrice, quàm in infante; Et animaduertendū eſt, ne lac uitiatum ſit, quod curari debet, ſecundū eius uitiū, eo modo, quo, ſuo loco declaratum eſt, in primo libro iſtius artis, qui legēdus eſt ſcire uolenti. Infans uerò, ut indicatio iſtius curationis obſeruetur, dum eſt in paroxyſmo excitetur ſuffumigijs ex plurimis, uel ex ruta, uel ex galbano, uel aſſa fœtida, uel fricationibus. Poſteà tēpore quietis,

Margin notes: VICTVS RATIO. — Hip. lib. 2. aphor. 45. — MEDICAMEN. RATIO

tis, quotidie, mane, ieiuno ſtomacho ei exhibeatur ſcrup.s. iſtius electuarij, uel etiam ſcrup. i ſecundum ætatis fortitudinem ipſius infantis; deindè ſtatim admoueatur ipſe infans mammillis nutricis, & earum papilla in ore, eius ponatur, ut ſimul cum lacte, deglutiat ipſum electuarium; quod ſic conficito. ℞. granorum pæoniæ, ſubtilisſimè contritorum, pulueris cardamomi an. ſcrup. s. nucis myriſticæ, quam muſcatam uocant, mithridatici electi drac. ij. mellis optimè deſpumati, parum miſce, & fiat electuarium; poſteà ſuper commiſſurā coronalem ponatur aliquantulum iſtius pulueris; ℞. ſeminū pæoniæ ſcrup. iiij. nucis myriſticæ, cardamomi, gariophyllorum an. ſcrup. i. roſarum rubearum, coralliorum rubeorum, myrtillorum an. drag. i. miſce & fiat puluis ſubtilisſimus, & renouetur ſuper caput infantis, tertio quoq; die, & quando ſecundus ponitur puluis, remoueatur primus. Vel ℞. olei ſeſamini unc. i. s. ſacchari candidisſimi unc. i. contriti miſce, quotidiè ſæpè poſt ſomnum de eo, ad lambendum, præbe cocleare unum, nec non poſt balneum, & fricationes, manè quotidie corpus ipſius infantis inungatur oleo chamæmelino calido. Prætereà Albertus Magnus laudat ſmaragdum, collo alligari ad arcendum proprietate occulta comitialem morbum. Laudo etiam ut collo ſuſpendatur radix pæoniæ; nam de ipſa loquens Gal. inquit; Equidem uidi puellum quandoq; octo totis menſibus morbo comitiali liberum, ex quo hanc radicem geſtauit, ac poſteà fortè fortuna cùm, quod à collo ſuſpenſum erat, decidiſſet, protinus denuò conuulſione correptum, rurſusq; ſuſpenſo in locum illius alio inculpate poſteà egiſſe, porrò

Alb. Mag. de mineralibus lib. 2. trac. 2. cap. 17.

Gal. lib. 6. d simpl med fac. cap. de glyciſsida.

uisum est mihi satius esse rursum, id collo detrahere, certioris experientiæ gratia, id cum fecissem, ac puer iterum esset conuulsus, magnam recentis radicis partem ex collo eius suspendimus, ac deinceps prorsum sanus effectus est puer, nec posteà conuulsus est.

DE PARALYSI.

CAP. XVII.

DEFINIT. MORB.

AFFECTVS ille, qui motum uoluntarium, & sensum in aliqua corporis parte, non autem in totum offendit, & impedit, & hoc consentientibus, & patientibus musculis, & neruis; A Latinis dicitur neruorum resolutio, & Græcè παράλυσις, & causa, ut plurimum in infantibus est humor lentus, & crassus resoluens neruos, & aliquandò accidit propter casum ex compressione cerebri, & ex forti ligatura, uel ex aliqua percusione, uel contusione.

Gal. lib. de atra bile c. 5 circa finem.
CAVSA.
SIGNA.

Verùm ubi sensus, & motus uoluntarius impeditur, & urina (quæ naturaliter ad lactis proprietatem trahit) ut plurimum uiridis, & tenuis, cruda, et pellucida percipitur, sunt huius ægritudinis manifesta signa.

PROGNOSTICA.
Auic. lib. 3. F. 2. cap. de para.

Et si paralysis citò non curetur, & annũ pertransit, contrahitur habitus morbi, & ac proindè immedicabilis; Et si membrum paralyticum extenuetur, aut minoretur, malum, quia non nutritur; superueniente uerò febre, aut tremore, bonum quia tùnc fit expulsio, & consumptio, seù resolutio materiæ peccantis.

VICTVS RATIO.

Victus ratio statuenda est, eo modo, quo instituta est in capite præcedenti, de epilepsia, cum cibis assis, aridisq;.

RATIO

Mox nutrix sumat quotidie manè syrupum

rupum

rupum istum, per dies septem continuos. R. oximellis simplicis, mellis rosati colati, syrupi de betonica an. unc. s. aquarum betonicæ, saluiæ an. unc. s. misce pro syrupo, deinde post syrupos sumat pilulas de agarico, Mesue scrup. iiij. cum syrupo de stæchade reformatas. Infanti autem ante balneum, quotidiè manè iuncturæ paralyticæ inungantur ex oleis de costo, & de castoreo, & exhibeatur ei etiam scrup. s. pro qualibet uice, quotidie post balneum, per dies tres cõtinuos, & quinque si opus fuerit, istius electuarij, cum lacte, eo modo, quo descriptum est, præcedenti capite, in sermone de morbo comitiali. R. pulueris mentastri, rosarum, cinamomi, masticis, mei, phu, seu ualerianæ, ameos, doronici, zedoariæ, gariophyllorum an. scrup. i. sandalorum, ligni aloes an. drac. i. misce, & cum melle optimè despumato q. s. fiat s. a. electuarium; Nec non ablutio crurum infantis ex lixiuio decocto cum baccis lauri, & granis peoniæ confert.

MEDICAMEN.

DE CONVVLSIONE.

CAP. XVIII.

CVM Neruorum, & musculorum citrà uoluntatem, uel in toto corpore, uel in parte, ad suam originem fit contractio, seu retractio, morbus ille à Latinis conuulsio uocatur, et à Græcis σπασμος, & tres sunt species conuulsionum, quæ græco sermone dicuntur οπιστοτονος, una idest tensio ad posteriora εμπροστοτονος, altera idest tensio ad anteriora; & tertia τετανος, idest æqualis tensio. Et quia conuulsiones facile infantibus accidunt, & præcipuè ijs, qui iam dentire incipiunt;

MORB. DEFINIT.

Gal. lib. 4. aphor. 57. in comm.

Hip. lib. 3. aphor. 25. Gal. ibidem in comm.

CAVSAE. Gal. lib. 4. aphor. 57. in comm.

cipiunt; Propterea de ea agere operæpretium est, quæ originem, & causam, uel à repletione, uel ab inanitione, trahit; omnes enim conuulsiones secundum ipsum Hip. fiunt, uel ex repletione, uel euacuatione partium, uidelicet neruosarum, quẽadmodum chordis sæpè rumpi, ex repletione contingit, & ex inanitione propter siccitatem; ueluti si ad ignem neruosa corpora admoueantur, uiolenter exsiccantur, & contrahuntur, ità & neruis humanis euenire solet. Verùm ea conuulsio, quæ in infantibus oritur, ob repletionem excitatur, uel ex deprauatione concoctionis, quæ tum ex dolore, & pũctione dentium, tùm ex nimia attractione lactis ad nutritionem generatur, uel etiam ex imbecillitate neruorum, quæ humorum redundantiam facilè trahit, & illis sæpè contigit corpus crassum, & humidum, & dura aluus. Propterea facilè conuulsionibus capiuntur. Signa sunt ista; si tensio erit

SIGNA.

ad posteriora scapulis, caput adnectere uidebitur; si ad anteriora, in hoc, collum in anteriorem trahitur, & in posteriorẽ partem trahi non potest; si ab æqualitate, collum, & malæ rectè contrahuntur, & dentes utrinq; hærere apparebunt, adeò ut neq; annuere, neq; renuere ceruix possit; sed immobilis cũ reliquo corpore existat. Si à siccitate, uel inanitione fiat cõ-

Gal. lib. por rhet. 3. com. 69

uulsio, signa sunt macies totius corporis, uel aliqua purgatio uiolenta præterita, conuulsiones enim ex inanitione, post sudores multos, uel uomitus, uel deiectiones, uel sanguinis eruptiones, uel inediam, uel uigilias, uel motiones tùm multas,

Gal. lib. 3. prognost. com. 34.

tùm uehementes fiunt. Nec non potissimum conuulsiones futuræ cognoscuntur, si partes in uultu peruertantur, aut dentes strideant, aut oculi crebrò moueantur, ac peruertan-

tur,

tur, sed in pueris sufficit, si tantummodo uigilent, si admodum metuant, si mente lugeant, ac aluus non deiciat. Prædicendum uerò est, infantes à conuulsione sicca non facilè corripi, propter abundantiam humiditatis, & si ab ipsa capiuntur, facile curantur, propter humiditatem, & facilitatem mutationis naturæ ad habitum. In febribus autem, lætales sunt conuulsiones, non lætales uerò, quæ febres antecedunt. Propterea in primis si conuulsio à repletione ortum ducit, aer eligatur uergens ad calidum, & siccum, uel à natura, uel ab arte, igne alteratus; nutrix fugiat animi perturbationes, otium, & quietem; Excerceat se bis in die secundum consuetudinem, manè, & serò ante cibum, aluus exoneranda est à fæcibus quotidie sponte, uel alternis diebus, arte, clystere communi. Somnus nocturnus sit breuior solito, & fugiat diurnum post cibum, & uigilias superfluas, cibus deindè sit leuior solito, & caueat ab omni cibo frigido, unctuoso, & humido, & difficilis concoctionis, comedat panem bene fermentatum, & biscoctum, & carnes potius assatas, quàm elixas, uitulorum, hædorum, turdorum phasianorum, perdicum, & omnium auium terrestrium, & similium, bibat aquam cum melle coctam, & caueat à uino, inter olera comedere poterit mentam, saluiam, petroselinum, & caueat ab omnibus alijs oleribus; inter fructus mala cydonia comedat, & nuces, & auellanas; Et seruata indicatione morbi, quæ perficitur, si in ipsa nutrice erit humorum præcipuè humidorum, & frigidorum abundantia, & fiat eorum purgatio hoc pacto, per

PROGNOSTICA.

Gal. lib. 4. aphor. 57. in comm.

VICTVS RATIO

MEDICAM. RATIO.

septem

ſeptem dies continuos, ſumat inferius ſcriptum ſyrupum, ℞. ſyrupi de ſtechade, mellis roſati colati, oximellis ſimplicis, an. ℥nc. s. aquarum ſaluiæ, maioranæ an. ℥nc. i. s. miſce pro ſyrupo, deindè poſt aſſumptionem ſyruporum, ſtatim in die ſequēti manè per horas quatuor ante cibum, capiat infraſcriptas pilulas, ℞. pilularum ex agarico, meſue, ſcrup. iiij. miſce, & cum ſyrupo de ſtechade reformentur pilulæ v. & inaurentur, & in die, quo ſumit pilulas ipſas, alia nutrix lactet infantem. Et ipſe infans balneetur in mane, & præcipue cū parte conuulſa, antequam lactet, ex aqua calida, decocta cum heliotropio; mox poſt ablutionem, irino oleo, aut cyprino, aut ſicyonio calido inungatur affecta pars. Vel etiam alio modo, cum pinguedine ceruina calida, aut urſina, aut uulpina inungatur; Vel alio modo, ℞. olei moſchellini ℥nc. s. butyri dr. ij. terebinthinæ ceræ an. ℥nc. s. pulueris maſtiches, ſtyracis, myrrhæ an. drac. iij. miſce, & omnia in mortario benè agitentur, & s. a. f. linimentum. Verùm ſi conuulſio prouenerit à ſiccitate, uel inanitione tùnc aer debet potius uergere ad humidū, & temperatè calidum, quàm ad ſiccum, & frigidum; Et uictus ratio in omnibus ſex rebus non naturalibus, eo modo inſtitui debet, & breuiter indicatio curationis uniuerſa in humectando, & reſtaurando infantem conſiſtit, Et ſi nutrix uel paucum, uel uitiatum lac habet, ſi fieri poſſit, alia lactet infantem; Mutatio enim ipſius lactis in iſto caſu mirum in modum confert. Sin autem nutrix curetur, & ei ſuccurratur, ſecundum qualitatem indigentiæ, prout à nobis oſtenſum eſt, primo libro huiuſce artis, ad quem ſe referat. Mox infans quotidiè balneetur ex lacte uaccino, aut ouillo tepido, aut cū

aqua decocta cum folijs salicis, ordeo, uiolis, & rosis, & in ipsum balneum mora sit breuis, propter debilitatem uirtutis, et statim post balneum membra conuulsa ex oleo rosaceo, aut amygdalarũ dulcium liniatur, ne humiditas impressa exalet, & hoc continetur, donec sanitas recuperetur.

DE OCVLORVM SVFFVSIONE.

CAP. XVIIII.

OCVLORVM affectio illa, quæ in infantibus, latino sermone, suffusio uocatur, & græcè γλαυκωμα dicitur, nihil aliud est, quam crystallini humoris in cæsium colorẽ mutatio, & morbus ipse infantibus accidit, ob oculorum eorum imbecillitatem, respectu aliarum ætatũ, duobus modis, uno, ex abundantia, & uariatione humorum, in eis contentorum, & adhuc concoctione carentium, et tùnc albescunt oculi ipsi, color enim uariatur, ex uariatione humorum, & humores uariantur de ætate in ætatem. Quapropter in infantibus, crescente concoctione, oculi uirescunt, & glauci fiunt, sicut plantæ, nàm in principio cùm nascitur non est apparentis tincturæ; immò declinat ad albedinem; deindè ipsa cum digestione fit uiridis, & propter hanc causam, sunt oculi infantiũ glauci, & uarij, & huius quidem glaucedo fit secundum humiditatem; Altero modo, ex siccitate immodica prouenit, humiditatem ipsorum oculorum exsiccante, et in tenebricosum colorem oculos ipsos uertente, sed prout testatur Hip. Glaucedo à siccitate proueniens, in senioribus, ut plurimum, accidit; & hoc propter immodicam eorum siccitatem. Verùm glaucedo,

Aetius lib. 7. cap. 51.
DEFINIT. MORB.
Aetius lib. 5. F. 3. tr. 2. cap. 34.
CAVSA.
Hip. lib. 3. aphor. 31.
ALIAE CAVSAE.

quæ à uarietate humorum, & redundantia in infantibus fit, ab aliqua ægritudine præterita, uel à mala uictus ratione, uel ab immodico fletu excitatur, cuius signa sunt albedo, aut uiriditas, aut color glaucus in oculo, & difficultas in uisu.

SIGNA.

PROGNOSTICA. Aetius ibid.

Prædicere autem licet glaucedinem ex siccitate prouenientem, incurabilem esse. Aliam uerò à redundantia, & uarietate humorum, de qua nunc scribere statuimus in principio curationem suscipere.

VICTVS RATIO.

Victus ratio igitur instituatur, ad calidum, & siccum uergens, eo modo, quo in capite, de epilepsia, nutrici, statutum est; Indicatio autem curationis perficitur, si in omnibus sex rebus non naturalibus, tàm nutrix ipsa, quàm infans caueant ab humidis, & frigidis, & in ferculis fœniculum, & post cibum etiam semina eius comedant. discutit enim, et uisum roborat; Et si oculi infantis, solo oleo antiquo sublinantur.

Aet. lib. 7. de resol. ocul. cap. 1.

Pro uiribus deambulare, etiam lentè fricare totum corpus infantis confert.

MEDICA. RATIO.

Abstinere à balneo per aliquot dies præstat infantem, ne augeatur humiditas. Præstat etiam ex experientia, adurere auellanam, & in puluerem redactam, cum oleo permiscere, & uerticem infantis inungere; & similiter puluis corticum auellanarum confert. Vel fiat collyrium istud, R. acaciæ drac. i. pulueris gallarum scrup. i. misce, & cum aqua florum papaueris rufi q. s. fiat collyrium s. a. uel R. aloes drac. i. pompholygis lotæ dr. s. aquarum eufragiæ, rosarum, fœniculi an. vnc. i. misce, & ex eo fiat destillatio in oculis, nàm ex eo etiam sæpè lippitudinem sanaui; testis est IOHANNES FRATA Iuuenis nobilis Veronensis, lepidis moribus præditus, & musis amicus, qui postquã in Gymnasio ticinensi lippitudine correptus fuisset

ſet, & Veronã cõualeſcẽdi cauſa rediſſet, hoc ſolo collyrio, poſt debitã totius corporis purgationẽ, à me curatus fœliciter conualuit; cõfert etiam ſuccus bengi, & ſuccus corticum granatorum.

DE STRABISMO.

CAP. XX.

QVANDO Infantium oculi, cernere uolentes, diſtorti apparent, uel prout dicitur, in obliquum, detorquetur, græco ſermone, uocatur hæc affectio στραβισμος, & à Latinis ſtrabiſmus; ij uerò; qui habent oculos diſtortos, græcè dicuntur στραβος παραβλωπες, & affectio ipſa modò ab humiditate, modò à ſiccitate muſculorum bulbum mouẽtium, generatur. Signa, ſi ab humiditate oriatur affectio, erunt copioſa, narium, oculorum, & palati deſtillatio, et aurities alui; ſi à ſiccitate, ut à febre, uel cõuulſione, aut epilepſia præterita, uel præſentanea, uel ab aliqua aduſtione faciei, prout in quadam filia mea unius anni euenit, quæ igne, caſu facie combuſta, per aliquot dies, poſt ſanationem, cum ſtrabiſmo, uel diſtortione oculorum aſpiciebat. quæ poſteà oleo tantummodò roſaceo emollita, aliquoties fœliciter conualuit. Strabiſmus autem, ſeu ſtraboſitas, quæ eſt à generatione non ſanatur, niſi in habitu corporis infantis ualdè humido; Et ſi recens eſt facilè curatur; ſi eſt ab humiditate uictus ratio in omnibus ſex rebus non naturalibus inſtituatur, potius uergens ad calidum, et ſiccum, quã ad frigidum, & humidũ, unde ſumitur iſtius morbi indicatio: frigidum enim inimicum eſt neruis. Mox

MORB. DESCRIPTIO

CAVSAE. Paul. lib. 3. c. de ocularijs 22 Auic. lib. 3. F. 3. tract. 2. cap. 28.

SIGNA.

Auic. ibidem PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

RATIO MEDICAMEN.

nutrici per horas quatuor antè cibum, exhibeátur pilulæ istæ, ℞. pilularum cochiarum, agarici præparati an. scrup. ij. misce, & cum melle rosato reformentur pilulæ v. & inaurentur. Die uerò sequenti oculi infantis fomentētur ex decoctione rerum, & herbarum anodynarum, cū spongia, deindè inūgantur oleo chamæmelino calido, simul cum pauco croceo misto. Si uerò à siccitate prouenit, contrario modo indicatio nos monet, cum humidis enim, & calefacientibus moderatè instituatur uictus ratio; Si ab aliqua ægritudine per cōsensum, ueluti à conuulsione suboriatur strabismus, tunc animaduertant studiosi, quòd ipsa ægritudine soluta, sanabitur etiā strabismus ipse. Et si per adustionem oleo rosaceo tantummodò, uel è luteis ouorum illinendæ sunt partes oculorum, & sanabitur. Verùm si à generatione erit strabismus, tunc transferatur infans quotidiè in locum obscurum, in quo accendatur lucerna, & ponatur in parte opposita strabismi, adeò ut infans laboret semper in eam cernendo. Præterea ligetur filum rubrum cum re, quæ opponatur parti strabismi, aut suspēdatur aliquid rubrum, apud tempus appositum, adeò ut faciliter uideat illud, uel apponatur larua, seù persona fronti ipsius infantis, adeò ut rectè per eam aspiciat. Ad punctionem autē, & ardorem oculorum. ℞. albuminis unius oui, aquæ rosaceæ, olei rosacei, an. unc. i. misce, & omnia simul benè agitentur, & inunge, necnon albumen tantum oui, & aqua rosacea sola mirum in modum præstat.

Auic. ibidem

DE

DE PALPEBRARVM CRASSITIE, ET PILORVM CASV. CAP. XXI.

CVM infantis præter naturam coopertura, seù palpebræ oculi craſſeſcunt cum aliqua caliditate, & rubedine, caſuq; pilorum, arabicè id uocatur ſilac, & græco nomine dicitur πτιλωσισ *cauſa eſt humor craſſus, & ſalſus, ptiloſis enim palpebrarum eſt in callum indurata craſsities rubēs, quā magna ex parte capillorum defluuium comitatur; & quandoq; accidit cooperturæ oculi infantis ſilac ex fletu; Nec noc ſilac quidem eſt craſsities in palpebris proueniēs à materia groſſa, mala, corroſiua, ſalſa, baurachia, propter quam rubeæ fiūt palpebræ, & cadunt pili palpebrarum, & adducit ulcerationem partium, quibus fixi ſunt pili palpebrarum, & ſequitur eam corruptio oculi, & plurimum accidit ſucceſsione ophthalmiæ, & quia hæc affectio inuenitur aliquandò recens, aliquandò inueterata. Propterea in infantibus non poteſt eſſe niſi recens. Igitur uictus ratio inſtituatur nutrici ad ſiccum, et frigidum uergens, & calidum, & humidum fugiat, ut iſtius affectionis perficiatur indicatio; caueat à uino, ab oleribus, à leguminibus, à piſcibus, ab aromatibus, à ſalſamentis, ab allijs, à cœpis, à porris, à flatuoſis, à craſsis, unctuoſis, & humidis; bibat aquam coctam cū ſeminibus coriandrorum; comedat panem benè fermentatum, & biſcoctum, carnes aſſatas, uitulorum, pullorum, gallinaceorum, & auium terreſtrium; exercitationi incumbat; caueat à perturbationibus animi, & à ſonno diurno, poſt prandium, & aluus quotidie deijciat, tàm in ipſa, quàm in infante, uel ſponte, uel arte; Et omni ſtudio,*

DESCRIPTIO MORB. Auic. lib. 2. F. 3. doc. 1. c. 3.
CAVSA. Paul. lib. 3. c. de ocularijs 22
DEFINIT. MORBI. Auic. ibidem Auic. lib. 3. F. 3. tract. 3. cap. 3.
SIGNA. PROGNOSTICA.
VICTVS RATIO.

dio, & diligentia conuenit prohibere nè infans ploret, frica- tionibus incumbat, et caueat à balneo; Et si lac peccatum habet in crassitie, uel aliquo alio modo, curetur, secundum artem à nobis, in primo libro, explicatam, Infantis uerò palpebræ succus solani commendatur. Nec non palpebris ipsis, quotidiè post fricationem infantis, renouetur, & applicetur hoc emplastrum R. lentium decoctarum cum aqua rosacea, pulueris portulacæ an. unc. i. albuminis unius oui, olei rosacei q. s. ad incorporandum misce, & s. a. fiat emplastrum, & utere; Et si tumor in palpebris euenerit, cum aliquo dolore, tūc fomentationes calidæ, ex decoctione rerum, & herbarū anodynarum cum spongia, & inunctiones ex rosaceo tantummodo præstant.

RATIO MEDICAMENT. Auic. ibidem

DE PRVRIGINE PALPEBRARVM. CAP. XXII.

PALPEBRARVM Regioni infantis contingere solet etiam quidam pruritus, ueluti scabies, quā græci ψωροφθαλμίαν uocant; qui morbus, ex salso, nitrosoq; humore ducit originē. Signa sunt pruritus, & scabies. Et prædicere conuenit, si pruritus, & scabies ipsa (prout in infantibus, ut plurimum contigit) in sanguine, uel pituita, uel bile flaua peccant, faciliorem curationem admittere, quàm ea, quæ ex commistione atrabiliarij humoris gignūtur. Victus ratio statuenda est cum humidis, & infrigidantibus; si pruritus ab humore salso, nitrosoq; causam trahit, à quo sumitur indicatio; undè

DESCRIPT. MORB.
CAVSAE.
SIGNA. Paul. lib. 3. de ocularijs cap. 22. parte propria.
VICTVS RATIO.

nu

nutrix caueat à uino, ab omnibus oleribus, præter spinachiã, lactucam, & atriplicem, caueat ab allijs, cæpis, porris, raphanis, salsamentis, & ab aromatibus omnibus, à crassis, uiscosis, & digestione duris; bibat aquam tum seminibus coriandrorum coctam, aut iura carnium; comedat panem benè subactum, fermentatum, & satis coctum, & carnes boni succi, & facili, concoctionis; exerceat se secundum consuetudinem; caueat à somno diurno, & à perturbationibus animi; aluus deijciat quotidiè, & infans balneetur post fricationes; deindè palpebris ipsis affectis fiant medicationes istæ ℞. lenticulæ, & rosarum an. M. i. pulueris florum chamæmeli, parietariæ, rosarum an. drac. ij. aloes drac. i. uini dulcis albi q. s. ad incorporandum misce, & fiat cataplasma, & ad palpebras adhibe: Vel ℞. aloes, psylli, an. drac. i. s. & ligentur in panniculo, mox infundantur in aqua q. s. per noctem: deindè parum lento igne, simul calefiant, posteà fiat fortis expressio, & coletur, de qua colatura tepida, manè, & serò, ablue palpebras. Quòd si lachrymæ inuoluntariæ suboriantur, inunctione præmissa tolluntur, & constringuntur. Verùm si pruritus prouenerit ab aliqua mistione, atrabiliarij humoris, uictus ratio in omnibus sex rebus non naturalibus instituatur ad calidum, & humidum uergens tantummodò, quoniam medicamentorum ratio præmissa conuenit.

Paul. ibidē. MEDIC. RATIO.

DE DOLORE AVRIVM.

CAP. XXII.

DEFINIT. MORB. AVRIVM etiam dolor accidit infantibus aliquandò,
Gal.lib.3.de comp. med. ſoc.loc.c.1. qui græco nomine dicitur ὠταλγια, & nihil aliud eſt,
CAVSAE. quàm triſtis, at moleſta auris ſenſatio, re de repente, ac uio
lenter ſimul, & uehementer imprimente facta, et generatur,
Auic.lib.1.F 3.doc.1. c.3 aut à uentoſitate, aut ab humiditate, aut à frigiditate, aut ab
SIGNA. apoſtemate, ueluti ſigna indicabunt, tùm ex loquela infan-
tis, ſi loqui cœperit, tùm ut ſi à flatibus proueniet ab aurium
ſonitu, clarè, & tinnitu, & dolore tenſiuo, non grauante, per
cipietur; Et ſi ab humiditate, à commotione interna inde-
ſinente, & dolore cum grauedine, & exitu ipſius humidita
PROGNOSTICA. tis dignoſcitur, & quia dolor eſt apud cerebrum, propterea ſta
tim ſuccurrendum eſt, nè ex fluxione humorum ob doloris
cauſam, ad locum affectum generatur apoſtema; nam eo in
VICTVS RATIO. caſu periculum mortis imminet. Propterea aer eligatur ad
calidum, & ſiccum uergens; nutrix excercitationi incũbat;
ſomnus ſit conſuetudine breuior, caueat à diurno poſt cibum,
& à perturbationibus animi; Aluus quotidiè ſubducatur
uel ſpontè, uel arte, tam in ipſa, quam in infante; caueat
ab aqua, ab omnibus oleribus, à fructibus, à leguminibus, à
piſcibus, à uiſcoſis, ab humidis, à craſſis, & ab omnibus
flatum, & humiditatem parientibus; Bibat uinum ſatis ma
turum; panem comedat optimè ſubactum, & coctum; car
nes facilis concoctionis, & boni ſucci, & fercula cum aro-
RATIO MEDICAMEN. matibus cocta, quæ flatum diſcutiunt, prout cum pipere pa
rumper contuſo, & non contrito, uel cum cinnamomo, aut
zin

zingibere. Posteà infantis aures à sordibus, in primis, quotidiè, semper, antè medicationem, expurgētur, mox medicandus est dolor auris à uentositate, & humiditate, ut indicatio demōstrat, cum calidis, & siccantibus, ut ex licio, & origano, & sale tabarzet, scilicet albo, trium coctorū, & ex lentibus, & myrrha, & ex seminibus colocynthidos, & sauinæ, quodcunq; eorum fuerit coquatur in oleo, et in ipsas guttatim instilletur. Et animaduertant studiosi, ut oleum non sit nimis calidū, uel frigidum, sed tepidum; & antequā instilletur, aures prius expurgentur ab alio primo oleo, & sit in parua quantitate, & non trahat multam moram in aure. Nec non quia omnis curatio per eius causæ ablationē perficitur; ablata n. causa, tollitur effectus. Iccircò si dolor à solo flatu oriatur, tunc ex cymini, anisorū, spicæ nardi, myrrhæ, ac olei chamæmelini, seu amygdalarū amararum, decocto guttā unam in aures infundito. Si uerò ab humiditate sola proueniat dolor, Auic.ibidem *lana in melle, et uino mistis, cum modico aluminis, aut croci, aut minima quantitate nitri, inungenda est, & auribus inijcienda, & est, cum sufficit, ut lana in uino pontico, aut in quo parum croci sit mistum intingatur, & in aures inijciatur; ueluti ℞. uini, mellis, an. unc. 1. aluminis contriti, nitri, croci, an. drac. s. misce, et omnia simul unà leui ebullitione bulliant, in qua posteà decoctione tepida, uel lanam prius infusam, et madefactā, specillo inuolutā, auribus imponito; si uerò dolor fue*- Gal. ibidem *rit à frigiditate aeris, ut indicatio nos docet, ex calfacientibus tū in uictus, tū in medicamētorū ratione curatur; dolor autē* Paul. ægin. lib.3.cap.23 *auriū à frigiditate, calefacientibus curabitur præsidijs, ut oleo rutaceo, & laurino. At si dolor uehemens suboriatur, conce-* Gal.lib.3.de comp. med. soc.loc.c.1.

Auic. lib. 1. F. 4. cap. 8. Aet. lib. 6. cap. 8 0. Paul. ægin. lib. 3. cap. 23

dantur, & admittantur stupefacientia medicamenta auctoritate Galeni, & Auic. & Pauli, & Aetij, nihilominus quia in adultis (mea quidem sententia) intelligunt; Suadeo ut studiosi in infantibus omninò caueant à stupefacientibus; non .n. leue indè periculum cerebro, quod auditorio neruo uicinũ est, imminet. Vlterius si dolor fiat ex inflammatione, cũ in infante nullum ex antiquis uiderim, qui de ipsa curatione, uerbum ullã faciat; arguo in infantibus raró, aut nunquã morbum ipsum contingere; propterea de ipsa curatione hic pertractare operæpretium non est; nihilominus si casus euenerit, optimum ad eam pharmacum unguentum nardinum, cum exiguo basilico, appellato pharmaco, infunditur, cõmagenum quoq; aptum est, & ex adipibus pharmacũ. Sed in hoc animaduertant studiosi, ut in casu apostematis, repercusiua non administrent, ne materia intrò petens cerebrum offendat, & infantem interficiat.

Gal. lib. 3. de comp. med. sec. loc. c. 1.

DE AVRIBVS VERMINOSIS.

CAP. XXIIII.

DESCRIPTIO MORB. Auic. lib. 1. F 3. doc 1. c. 3 CAVSA.

INTERDVM ex aure infantium uentriculi exeunt. Quapropter morbus ipse à Latinis auris uerminosa appellatur; græco uerò sermone σκωληκώδης, & causa procul dubio est humiditas putrescẽs, quæ in infantibus abũdat, præsertim in cerebro. In ætatibus enim talia contingunt paruis. & nuper natis puerulis ulcera, quæ apthæ uocãtur, uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici, inflammationes, auriũ humiditates; Et quoniã à natura aliena est expurgatio, humiditatũ scilicet per aures, undè mirum non est, si humiditas ipsa, eo in lo-

Hip lib. 3. aphor. 24.

Gal. ibidem in comm.

eo facilè putrescit, cum ibi fluit, & sic facilè ex ipsa putredine uermiculi ipsi generantur. SIGNA manifesta sunt. Propterea quòd in auribus ex humoribus saniosis, & mordacibus dolor excitatur; & quia aurium dolor acutus cũ febre continua, ac uehementi difficilis est; periculũ enim delirij, abolitionisq; imminet; statim deueniendum est ad curationem, quæ secundũ indicationem perficitur. Quantum ad uictus rationẽ eo modo, quo declaratum est, capite præcedenti, de aurium dolore. Verùm quod ad rationẽ medicamentorũ attinet, quæ scripta sunt in ipso præcedenti capite pariter conueniunt; Indigemus enim moderatè exsiccantibus, & excalfacientibus; præterea cum coto prius specillo obuoluto, & sic in aure sæpè immisso, tentandum est humiditatem ipsam fluentem educere, & exsiccare. Et si præmissa non suffecerint. R. uini stypticí unc. ij. croci dr. i. misce & calefiant, mox cotum intinctũ in aure imponito, vel R. olei chamæmelini, amygdalarum amararum an. unc. s. croci drac. i. misce, & guttam calefactã in aure, cũ coto immitte; Et si sanies, uel humiditas, instar sanguinis ex auribus fluxerit, tùnc R. olei de canabel, olei irini an. unc. s. misce, & ex eis prius aurem à sanie, & humiditate exsiccata, gutta bis, aut ter in die instilletur, uel R. terebinthi, mellis an. unc. i. misce, & in aurem immittito.

SIGNA. Gal. lib. 3. de comp. med: sec. loc c. 1 Hip. lib. 3. prognost. tex 15.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MEDICAMEN. RATIO

DE STERNVTATIONE.

CAP. XXV.

CVM inter ægritudines infantiũ numeretur etiã sternutatio, de ea pertractare operæpretiũ est, quæ à Græcis uocatur πταρμος, & quemadmodũ tussis pulmonem expur-

Auic lib. 1. F. 3. doc. 1. c3 DESCRIPT. MORB.

Gal.lib.2.de sympt. cauf. cap.4. gat, ità & sternutatio nares, et cerebrum expurgare uidetur.
Gal.ibidem sternutationes enim (si tamen ex catarrho non fiunt) maximum remedium capitis halitu repleti, sunt; nihilominus causa
Auic.ibidem ipsius sternutationis est præter naturam; & Auicenna in isto casu, duplicem causam affert. Vnam ex apostemate in cere-
CAVSAE. bro; Alteram uerò sine apostemate, quæ, ut plurimum est à flatu, seu impetu flatuoso. Signa facile innotescunt; iccircò
SIGNA. Gal.lib.5 aphor.35.in comm. dicendum est; sternutationem, quæ sine destillatione catarrhi est, in omnibus morbis saluberrimum signum esse, quia naturã ostendit, quæ prius obstupuerat, excitari, & reuiuiscere, & propriarum meminisse motionum, & facultatum robur, &
PROGNOSTICA. conualescentiam denotat. Quantum uerò attinet ad sternutationẽ, quæ cum cerebri destillatione fit, sequenti capite declarabimus; Nihilominus impetu sternutationis copioso uenæ, & arteriæ aliquandò rescinduntur. Propterea cũ de apostemate cerebri, iam propositum sit, cuius sternutatio, ablato apostemate ipso, tollitur, reliquum est, ut tantummodo de ipsa sternutatione à flatu, sine destillatione catarrhi, curationẽ
VICTVS RATIO. perstringamus, quæ perficitur, si uictus ratio instituatur in omnibus sex rebus non naturalibus, ut indicatio istius affectionis demonstrare uidetur ad frigidum, & siccum uergens; & nutrix caueat ab aere humido, & calido, à somno diurno, aluus exoneretur quotidie, exerceat se secundum consuetudinem, et in infante caueat, ne post lactationem diurno tempore, post spatium horarum duarũ dormiat. Caueat à uino, & ab aromatibus, ab allijs, cœpis, porris, raphanis, & à cibis salitis, grossis, uiscosis, humidis, flatuosis, et difficilis concoctionis, & mali succi: Bibat aquam ordeaceam, comedat panem satis co-

ctum

ctum, & carnes boni succi, & facilis concoctionis, & cœna sit leuior prandio. Infans deinde manè ante lactationē, postquā è uentre excremēta secreuit, leniter fricetur; deinde frons eius oleo rosaceo omphacino, simul cum unius oui luteo admisto, & benè conquassato inungatur; Vel R. pulueris portulacæ, aut eius succi, cucurbitæ, aut eius succi an. vnc. s. farinæ ordei drac. iij. olei rosacei omphacini q. s. ad incorporandum misce, & f. emplastrum, & fronti applicetur: vel R. olei de salicibus, de nenuphare an. vnc. i. albuminis unius oui, misce, & panniculi infusi fronti, & temporibus applicētur: vel R. pulueris rosarum, sandalorum, sanguinis draconis an. dr. i. aquæ rosaceæ vnc. ij. misce, & infusi panniculi fronti, & temporibus adhibeantur. Capiti etiam irrorationem ex aqua calida, ante lactationem admoue, uel in utraq; parte oleum amygdalarum dulce infundito, & si infanti aluus astricta sit, suppositorijs ex melle, & hiera, uel sale gemma, confectis, lubrica fiat, & si præmissa non suffecerint, tunc R. pulueris mastiches, thuris, mirrhæ, sanguinis draconis an. dr. s. albuminis unius oui, misce, & omnia simul benè conquassentur, posteà panniculi infundantur, & fronti applicentur, uel in utranq; aurē, oleū amygdalarū amararū, infundito: vel suffumigia ex thure, & gariophilis, uel spongia marina naribus admoue.

RATIO MEDIC.

DE DESTILLATIONE ET CATARRHO.

CAP. XXVI.

ETSI hactenus inter approbatos scriptores, nullū inueni, qui de destillatione infantiū scriptū aliquid reliquerit, nihilo

Gal.lib.3.de sympt. cauf. cap.4.
DEFINIT. MORBI.

nihilominus experiētia ductus, curationē ipsā paucis perstringere tētabo. Propterea cū morbus ipse nihil aliud sit, quàm superabūdantis humoris ex capite fluxio in partes subiectas, à Latinis dicitur destillatio à Græcis uerò κατάῤῥοος qui tria, ratione loci affecti ad quē uergit, sortitur nomina; his duobus carminibus à Bernardo quodam breuiter declarata.

Dum fluit ad pectus, dicetur rheuma catarrhus,
Ad fauces branchos, ad nares dico coryzam;

CAVSAE.

Nec non, & branchos alio modo dicitur raucedo, & coryza, grauedo; Causæ istius ægritudinis, ut plurimū sunt in infantibus, aut uestimentorū, coopertoriorumuè mutatio, aut sub radijs solis, lunæq; statio, aut (ut breuiter eas absoluā) sola mutatio aeris, ut frigiditas, & caliditas, & præcipuè, si uenti meridionales flauerint, sua enim qualitate caput grauant, et cerebrū replent, mox à caliditate; quemadmodū in collibus niuē liquefacit sol, ità, & cerebrum extenuatur, ac dissoluitur: & à frigiditate cerebrum ipsum (ueluti à manu spongia aqua imbuta) comprimitur, & excrementa per destillationem ad inferiora compelluntur. Propterea in præsenti capite de destillatione, quæ ad nares, & ad palatum currit, & sternutationem excitat, & grauedo, aut coryza uocatur, nunc agere decreuimus; De ea uerò, quæ fluit ad pectus, & tussim prouocat, scribemus in sequenti libro, capite proprio.

Hip.lib.3.aphor.5.

SIGNA. Paul.lib.3. cap.28.

Signa quandò ex caliditate destillationem concipiunt, ijs, qui laborant, sunt hæc, particulæ incalescunt, acris, tenuisq; humor, tùm per nares, tùm per os descendit, facies rubescit, & nasus. Et qui ex frigiditate ijs frons, & caput undiq; distēditur, meatusq; atmoides dicti clauduntur, & in principio sæpè sternutatio

Hip.lib.2. prognost. tex.49.

tatione corripiuntur. Prædicendum est deindè grauedines, & sternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone fatigēt præire, & subsequi malum esse; cerebri enim malam intemperiem, et capitis repletionem denotant, ex quibus facile in scotomiam, & uertiginem ægrotantes incidunt. Et desumpta indicatione istius ægritudinis ab ipsis signis, si destillatio fuerit à materia calida, tunc uictus ratio instituatur ad frigidum, & siccū uergens, prout institutum est capite præcedenti, de sternutatione. Si uero fuerit ab intemperie frigida uictus ratio in sex rebus non naturalibus statuenda est ad calidum, et siccum uergens, uitando tàm in aere, quàm in cibo, & potu, somno, & uigilia, ea omnia, quæ infrigidant, & humectant; exercitationi incumbat, & aluus tam in nutrice, quā in infante, quotidie deijciat. Quantum uerò ad curationem, opus naturæ relinquendum est: nam si rectè uictus ratio instituatur, facillimè morbus ipse curationem in infantibus admittit, & haud quaquā destillatio, aut sternutatio in similibus (nisi aliud indicetur) est constringenda. Verum enimuerò post concoctionem ipsius catarrhi, quem, cessante destillatione, percipies, tutò exhibere infanti poteris, ad expurgandum caput, & pectus dr. i. agarici præparati, aut in paruis pilulis cū melle; aut saccharo rosato, exhibitis.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MEDICAMENT. RATIO.

DE RIMIS LABIORVM.

CAP. XXVII.

DE Rimis papillarum mammarum nutricis iā scriptū est in primo libro, quæ ῥαγάδες, seù διαφυάδες græcè

uocantur, & eandem causam habent à siccitate cum ijs, quæ labijs contingunt; nihilominus differunt in hoc, quòd post coryzam, seu grauedinem, propter narium uicinitatem, ex fluxione, & destillatione catarrhi acuti, & calidi, rimæ ipsæ in labijs excitantur. Vndè labia, & nares intumescunt, & scinduntur, & aliquandò etiam excitantur à uentis frigidis, propter earum siccitatem. Succurrendum statim est, quoniã infans cum labijs sic malè affectis, cum maximo suo dolore, & difficultate lac è mammis emulgere, et papillas labijs constringere non poterit, undè malè nutrietur. Indicatio curationis autem, si causa post coryzam ortum ducat, perficitur, cum ratio uictus potius declinet ad frigidum, & humidũ, in omnibus sex rebus non naturalibus, quã ad calidũ, & siccũ: Et si labia infantis inungantur quotidiè bis, uel ter cum isto sequẽti unguento ℞. adipis gallinæ, hædi an. ℥. s. succi pomorum dulciũ ℥. iij. farinæ ordei drac. ij. olei rosacei q. s. ad incorporandum misce, & s. a. fiat linimentum. Verùm si causa à sola siccitate, ut à uentis ortum ducat, tùnc ratio uictus, et medicamentorum, quæ descripta, & constituta est libro primo, capite de rimis papillarum mammarum, nutricis, conuenit, ad quod ueniendum est.

DESCRIPTIO MORB.

SIGNA.

CAVSAE.

PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MEDICA. RATIO.

DE GINGIVARVM PRVRIGINE EX DENTIVM PRODVCTIONE.

CAP. XXVIII.

IN Infantium dentitione, quæ prorumpentibus dẽtibus fit, circà mensem ferè septimum, uel undecimum, ut à nobis declaratum est libro secundo huiusce artis, affectio fit, quæ

Paul. lib. 2. cap. 9.

à Latinis dentitio, uel dentium productio; & à Græcis dicitur οδοντοφυια, & nihil aliud est, quàm gingiuarum mordicatio, & acuitas, & bifariam diuiditur. Vna, quæ dicitur gingiuarum prurigo à Latinis, & à Græcis οδαξισμος, & nil aliud est, quàm pruritus quidam cum exigua quadã molestia. Altera uerò est ipsa dentitio dolorifica cum mordicatione, & gingiuarum acuitate. Causa est acuitas dentiũ, quæ pungit gingiuas, propter pruriginem in gingiuis, haud quaquã dentes adhuc apparent; in dẽtitione uerò dolorifica, et tumor, & dentes aliquandò apparent. Et periculum est ne infantes ipsi incurrant, in febres, conuulsiones, & alui profluuia. Et maximè cum caninos edunt dentes, qui uulgò ab oculis uocãtur, ualde timendum est; In prouerbio enim dici solet. Donec ab oculis non sunt editi dentes, de filijs genitores non sunt gaudentes. Et infantibus, quibus in dentitione aluus ualdè lubrica est, & bene concoquunt, minus conuelluntur, quã quibus modicè. Et quibus in dentitione febris acuta accedit parum conuelluntur; Et quicunq; dentientes pinguiores manẽt, & altiore somno utuntur, periculum est nè conuulsione corripiantur; At non omnes in dentitione conuulsi moriuntur; sed multi etiam seruantur. Qui hyeme dentiunt si in ijs cætera alioqui rectè se habent, liberantur; qui cum tussicula dentiũt, tardius dentes producunt. Et si ipsa dentitio tarda est, magis dolet, breuiori uerò tempore minus. Propterea tentanda est, omni studio, ut breuior, et facilis fiat, hoc pacto; Si nutrix uescatur cibo melioris succi, & facilioris concoctionis solito, et in alijs rebus non naturalibus, si uictus ratio uergat ad calidũ, & humidum, deijciente quotidie aluuo; Et si à balneo subla-

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. c. 3.
DEFINIT. MORBI.
Hip. lib. 3. aphor. 25.
Gal. ibidem, in comm.

CAVSA.

SIGNA.
Hip. ibidem
PROGNOSTICA.

Hip. de dentitione.

VICTVS RATIO.
Auic. ibidem
Paul. ibidem

MEDICA. RATIO. tus infans gingiuæ digitis assidua fricatione premantur: Et ex adipe gallinæ, & leporino cerebro inungantur. Et fomentationibus ex decoctione rerũ, et herbarum anodynarum, tum spongia infusa fomententur, uel ex oleo liquefacto cũ modica cera inungantur, aut melle, butyro admisto. Ad tollendum uerò dolorificam pruriginem, seu dentitionem, cauendum est ne infans comedat res duras, & nutriendus est uberiori cibo, ut facilius natura ab uberiore nutrimento iuuata dentes producat, quotidiè balneandus est, & urgente dolore ex oleo d u ci calido irrorationem in eius capite infundere conuenit, & fomentationem ad maxillas ex uino albo calido cum spongia; & in aures instillandum est oleum chamæmelinũ, & amygdalarum dulcium, tepidum: caro etiam salsamenti ueteris lenit. Cerebrum etiam leporis attritum, & esum utile esse di- (Gal. lib. 11. de simpl. med. fac. c. proprio.) dicimus, pueris dentientibus, capite uidelicet toto elixo, ut fieri solet. Et si dolor uehementior fiat, tùnc liniantur gingiuæ dolentes ex succo solatri, cum oleo rosaceo calefacto. A proprietate etiam ibidem cõmendat Auicenna lac caninum: et (Auic. lib. 3. F. 7. c. 16.) Mesues medullam caballinam.

DE GINGIVARUM ABSCESSIBUS EX DENTIUM PRODUCTIONE. CAP. XXVIIII.

DESCRIPT. MORB. ANTEQUAM oriantur infantium denticuli, quandoq; tubercula quædã in gingiuis iuxta dẽtes nascũtur, quæ CAUSAE. Græci παρουλίδας uocãt, & hæ accidũt facilè infantibus, ob alimẽti cruditatẽ, qua ualdè abũdant propter dolores, et uigilias, (Gal. lib. 5. aphor. 25. in comm.) à quibus cõtinuè uexãtur in generatione dentium, tùm quia

neruosæ partes nondum satis ualidæ sunt, tùm etiam propter eorum crassitiem, & aluos duras, & inditia oculis manifesta insunt, & facilè suppurantur abscessus ipsi, nisi soluātur, statim adhibitis opportunis remedijs. Indicatio curationis perficitur circa uictus rationē, quemadmodū instituta est capite præcedenti de prurigine gingiuarū. Verū circa rationē medicamentorū, præstat in primis, quotidie semel tantū, in mane, stomacho ieiuno, infantē fricare, & balneare, & caput eius mox ex decoctione ista calida irrorare. ℞. florum chamæmeli, meliloti, pulegij, anethi, thymi, rosarū, maioranæ an. M. i. bulliāt omnia in s. q. aquæ cōmunis usq; ad tertias, posteà coletur, & usu seruetur. & ex ipsa irroretur; resoluit enim humores descendentes ad gingiuas, & confortat cerebrū. Deinde bis, aut ter in die gingiuæ molliter digitis à nutrice cōprimātur, ut tuberculorū humiditas ex cōpressione facilius discutiatur. Postea ℞. olei chamæmelini, mellis, terebinthinæ an. drac. ij. omnia simul misceantur, & s. a. fiat linimentum, ex quo calefacto, gingiuæ, et tendines inungantur; etenim ex oleo chamæmelino, lenitur dolor, ex melle fit abstersio, & exsiccatio humorum, & ex terebinthina fit resolutio. PROGNOSTICA. VICTVS RATIO. MEDIC. RATIO.

DE SVPERFLVA CARNE EX DENTITIONE ORTA. CAP. XXX.

EX Causis dentitionis prædictis in capitibus præcedentibus, in extremo molari dēte, infantibus oriri solet etiam pauca quædā caro superflua, quæ græcè uocatur επουλις ex qua interdū excitātur dolores, et febres, & inflammatio ipsius loci affecti. Prepterea cum signa apparuerint tū ex carne ipsa CAVSAE. DESCRIPTIO MORB. PROGNOSTICA. SIGNA.

excrescente, tùm ex fluxione humoris copiosa ad os; tùnc uictus ratio nutrici in omnibus sex rebus nō naturalibus est statuenda eo modo, quo in capite de prurigine ostensum est, & caueat à uino, & cibus sit consuetudine leuior, & facilioris cōctionis, & melioris succi. Curationem autem secundum medicamentorum, & indicationis rationē perstringere oportet, hoc pacto, ℞. amyli drac.ij. aquæ rosaceæ unc.i. pulueris tragacanthæ drac.i. misce, et ex eis caro ipsa leniter fricetur, lentes decoctas infanti etiam ad masticandum exhibe, & ex ipsis lentibus excorticatis fiat etiam cataplasma, et circa maxillas apponatur, ex linimento etiam ex ipsis lentibus, parato in mortario, gingiuas inunge; nam exsiccat, & prohibet excrescentiam carnis, & generationem uescicularum, quæ sæpè oriri solent eo tempore; Vel alio modo, ℞. uini granatorum, succi cidoniorum, diamoron an.dr.ij. & ex eis gingiuas frica; Vel ℞. succi portulacæ, plantaginis, lactucæ, diamoron an. drac.ij. misce, & frica.

MEDICA. RATIO.

DE VESICVLIS GINGIVARVM.

CAP. XXXI.

SI Vesicula, quæ græcè dicitur κυστίδιον, pariter oriatur in gingiuis infantium, ex causis prædictis, capitibus præcedentibus de dentitione, cum signa satis innotescant, et affectio sit facilis curationis, ad curationem ipsam breuiter deueniendum est, quæ perficitur quantum ad uictus rationem, eo modo, quo ostensum est, capite de prurigine, quantū uerò ad medicamentorum rationem, etiam eo modo, quo declaratum est capite præcedenti de carne superflua ex dentitione. Verum enim

MORBI DESCRIPTIO. CAVSAE. SIGNA PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

enimuerò præter ipsa remedia, ista sic curationi inungito ℞. farinæ milij drac. ij. pulueris rosarum rubearum drac. i. aquæ rosaceæ, olei omphacini an. drac. i. s. sacchari albissimi drac. ij. misce pro linimento & f. inunctio uesiculæ. Vel ℞. pulueris myrrhæ, croci an. dr. i. mellis drac. iij. misce, & inunge; nam exsiccat, & abstergit. Si uerò oriatur uesicula ex defectu lactis corrupti nutricis; quod perspicies exploratione, secundum huiusce artis primi libri institutionem, qui legendus est, tunc lac uel purificetur, uel alia nutrix lactet infantem. RATIO MEDICAMEN.

DE DOLORE DENTIS.

CAP. XXXII.

ETSI aliqui, cùm dens sit os, sensum habere negant; & ex consequentia fieri non posse, ut ipse afficiatur dolore; nihilominus Gal. affirmat, dentes inter ossa euidentem sentiendi, uim habere, & confirmat in semetipso, se manifestè sensisse, non dolentem modò, sed etiam pulsantem dentem, quem admodum carnosæ partes inflammatione uexatæ consueuerunt, & cùm post dentium generationē ex superflua, & cruda humiditate mordicante, & à cerebro destillante, uel etiā ab intemperie calida, aut ab aere, aut ab intemperie frigida, aut à mora in locis frigidis, aut a lactis defectu, ueluti à congelatione, dentis dolor aliquando in infantibus accidit. Propterea de ipso dolore pertractare hic nihil absurdum esse arbitratus sum, qui græcè uocantur αλγος οδοντος cui comitantur (si dolor erit ab humiditate, & si infantes ipsi loquela nō sunt præditi) ploratus, uigiliæ, & sæpè manuum adpositio ad

Gal. lib. 6. de usu part. c. 2. Gal. de ossibus cap. 5. Idē lib. 5. de comp. med: sec. loc. c. 8

CAVSAE.

DESCRIPT. MORB.

SIGNA.

os,

os, & fluxio copiosa humiditatis ex ore, quæ si in caliditate peccauerit, tunc facies erit rubra, & totum corpus præter consuetudinem calidum; Et si in frigiditate excesserit, nec faciē rubram, nec caliditatem ipsam perspicies. Curatio istius doloris spernenda non est, cum inter maximos dolores numeretur dolor ipse, ex quo facilè excitantur febres, conuulsiones, & alui duræ, & cruditates. Ratio igitur uictus statuenda est nutrici; si ab humiditate frigida, dolor fit, secundū ipsam indicationē; quæ uergat in omnibus sex rebus non naturalibus ad siccum, & calidum, & cibus sit uberior; nā dentiū tenuitas ob alimenti inopiam, curari non potest; Caueat ne infans in die statim post cibū dormiat. Aluus in infante quotidie excernat, si nō spōte, cū suppositorijs ex melle. Somnus cōcilietur in nocte lōgior solito, et quotidie fricetur, et manè balneetur ieiuno stomacho, semel tantū; deinde ex decoctione calida herbarū anodynarū in capite de abscessibus gingiuarū descripta fiat irroratio super caput infantis. Mox R. cāphoræ dr. i. s aceti unc iij. misce, & bulliāt parū lento igne, & in infantis ore parū infunde; Vel R. opij gr. ij. aquæ ardētis unc. i & cū coto super specillū inuoluto, cum ipsius gutta dētem dolentē tāge. Vel R. origani, calaminthæ, hyssopi, satureiæ, dictami, radicis tytimali, chamæleonis, eryngij, uerbasci, ueratri nigri, capparorum, & cum aceto, uel uino nigro aromatino, bulliāt omnia parum, posteà dentes ablue. Irrorationes etiā ex oleo chamæmelino, seu anethino, rutaceoue conueniunt; Vel à proprietate (& hoc authoritate Rasis) dentē hominis mortui collo infantis suspēde, & miraberis. Verum si dolor fuerit à mala intēperie calida, tunc uictus ratio nutrici instituatur in omnibus

Gal. lib. 2. de comp. med. sec. loc. c. 1.

PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

Gal. lib. 5. de comp. med. sec. loc. c. 8

MEDICAMENT. RATIO.

sex

sex rebus non naturalibus, ad frigidum uergens, ut ex ptisana, alica, lactucis, et cucurbitis, et similibus in cibo. In potu caueat à uino, & bibat iura carnium; aluus quotidie deijciat, & fricetur infans; Et caueat à diurno somno, statim post cibum, à solis radijs, ab igne, & ab omnibus calefacientibus. Medicamentorum uerò ratio, hoc pacto, perficitur. ℞. radicum halicacabi, semperuiui, portulacæ, parietariæ, glychirizæ, an. pugillum s. & omnia in s.q. aceti bulliant, posteà in ore infunde, & ablue; Vel ℞. uiolas, cum uino decoctas, & in ore eas impone. Et si dolor augeatur, tunc folia hyoscyami, lactucæ, et semina papaueris in aceto coquito, & utere. Et animaduertendum est si adest inflammatio gingiuarum, quoniam tunc acetum non conuenit; gingiuas enim corrodit; propterea acetum ipsum, tam quam acutum, & hostilem gladium deuita. A' proprietate autem comendat Aetius lac asininum, & pimpinellam herbam tritam, & dentibus loco emplastri appositam. Et si lac nutricis propter eius uitium, est causa doloris, exploretur, secundum artem, deinde purificetur, et curetur, uel alia nutrix lactet infantem.

Aet. lib. 8. cap. 27.

Aetius ibid.

DE APHTHIS.

CAP. XXXIII.

VLCERA quædam in superficie oris infantibus aliquando accidunt, quæ Græci αφθας dicunt, & Arabes alcola, quæ fiunt ut plurimum in ipsis infantibus, aut à lacte nutricis uitiato, aut non probe ab ipso infante concocto, aut ab omni humore fluente, & superabundante, ut inditia indicabnut ex tactu, & uisu; ex tactu dum calor, & humor

DESCRIPT. MORB.

CAVSAE.

Gal. lib. 6. de comp. med. sec. loc. c. 4.

SIGNA.

exci

Auic. lib. 3. F. 3. cap. 23.

PROGNOSTICA.

Gal. ibidem

excitantur, ex uisu propter colorem: Nam album scilicet alcola, est phlegmaticum, & salsum, citrinum, cholericum nigrũ, melancholicũ, & rubrum sanguineũ. Vlcus cholericũ est uehementis inflammationis; sed omnibus malignius, & magis letale est melancholicũ, cuius crustæ nigrescunt. Apthæ in oris superficie uelociter dilatantur, & in temporibus pluuiosis, & in febribus pestilentialibus multiplicantur; At in infantibus apthæ ipsæ, (de quibus institutum nostrum est scribere) facile curantur. Vlcera ipsa fiunt diuturniora, atq; ægrè solubilia, & in progressu temporis putredinosi quidpiam acquirunt, quæ à medicis nomæ appellantur. Propterea in primis explorandũ est lac, eo modo, quo in primo libro huiusce artis à nobis satis explicatum est, & cognita qualitate peccante, ea est in nutrice curanda, & intereà per aliam nutricẽ salubriorem lactetur infans. Deindè eligatur aer ad siccum, & frigidum uergens. nutrix exerceat se manè, & serò, una hora ante cibum, caueat à somno diurno, post prãdium. aluus sit lubrica, uel spontè, uel arte, & præcipuè in infante quotidie excernat. Caueat in cibo ab omnibus oleis, usq; ad oleum de oliuis. Caueat etiam ab aromatibus, ab acribus, à salitis, à brassica, capparibus, lacticinijs, caseo, melongijs, nucibus, auellanis, raphanis, allijs, cæpis, & porris, & ab omnibus, quæ uitiosos succos generare possunt. uescatur cibo leui, boni succi, et facilis concoctionis; Et si infans febricitat, caueat à uino, et bibat iura pulli, uel aquam cum seminibus coriandrorum coctam. at si non febricitat bibat uinum dilutum, in ferculis uerò lentem; mala cydonia, pyra, sorba, et corna ex fructibus cocta; ex oleribus uerò lactucam, solanum, portulacã, & endi

VICTVS RATIO.

uiam permiſcere, & manducare conuenit. Et ſi malè concoquit infans, nutrix procuret, ut ipſa primò cibum digerat, quòd aſſequetur, ſi cibis facilis concoctionis, & boni ſucci nutrietur; & ſi poſt prandium, ſpatium temporis horarum nouem ſaltem, ante cœnam tranſierit, poſteà ſtomachus infantis inungatur, oleis iſtis calidis ℞. olei de abſinthio, de maſtiche, de menta, de cydoneis an. partes æquales miſce, & inunge. ſacculus etiam ex abſinthio, menta, chamæmelo, pulegio, abrotano, & roſis ſiccis, ſtomacho adhibitis præſtat. Et animaduertendum eſt, nè lac emulgeat infans ſtomacho repleto, ſed ſemper poſt digeſtionem, quæ facile in ipſis infantibus fiet per ſpatium horarum quinq;, uel ſex. Ad locum affectum uerò, ſi aphthæ rubræ fuerint, ut indicatio nobis oſtendit conueniunt ea medicamenta, quæ facultatem habent moderatè adſtringendi, & infrigidandi, ueluti ſunt infraſcripta, ℞. diamoron, ſucci roſarum portulacæ, plantaginis, an. drac.iij. farinæ ordei drac.ij. miſce, & omnia ſimul bene conquaſſentur, poſteà aphthas illine; Vel ℞. uini granatorum, ſucci ſemperuiuæ, iuleb uiolati an. ℥nc.s. pulueris roſarum rubrarum, lentium, rhu, an. dr.i. miſce, & illine; Vel ℞. rubi, roſarum, balauſtiorum, ſantalorum an. M.s. aluminis drac.ij. & omnia in s.q. aquæ bulliant uſq; ad tertias, cuius decoctionis ℞. ℥nc.ij. ſyrupi myrtini ℥nc.s. miſce, & utitor. Verùm ſi morbus, his peractis, non declinet, ſed augeatur, addere poteris mellis roſati ℥nc.i. unguenti ægyptiaci drac.ij. Et ſi aphthæ ipſæ fuerint colore albæ, tùnc, quia à pituita proueniunt. ℞. ſucci lyquiritiæ, thuris, myrrhæ, nucis cupreſſi, maſtiches, corticum granatorum, foliorum myrti, roſarum an. M.s. bulliãt

MEDIC. RATIO. Gal. ibidem.

omnia in s. q. aquæ ad tertias, posteà coletur, cuius decoctionis ℞. unc. ij. mellis rosati unc. i. misce, & ex ipsa illinantur. Si colore flauæ aphthæ uideantur, tùnc solano, & semper uiuæ succo, aut decoctione ipsorum cum diamoron, misce, & illinantur. Verum si liuidæ fuerint aphthæ, id, quod rarissimè, aut nunquam in infantibus euenit, nàm ætas ipsa in calore temperata est, in humiditate uerò non nihil excedens. Propterea difficulter ab isto melancholico morbo infantes ipsi corripiuntur: nihilominus si contigerit, tùnc ℞. passularum, enucleatarum, fumiterræ, boraginis, epithimi, rosarum an. M. s. bulliant omnia in s. q. uini albi astringentis, usq; ad tertias, postè à coletur, cuius decoctionis ℞. unc ij. mellis despumati unc. i. misce, & illinantur: uel ℞. pulueris florum chamæmeli, anethi, epithimi, fœnugræci, rosarum, an. drac. ij. mellis rosati unc. i. s. misce, & utitor.

Auic. lib. I. F. I. doc. 3. c 3.

DE INCISIONE FILETI SUB LINGUA INFANTIS. CAP. XXXIIII.

DESCRIPT. MORB. DEFINIT.

SI infans non expeditè loqui poterit, propter id, quod uulgus filetum uocat non incisum, quod nihil aliud est, quàm uinculum neruosum, quod nisi in ipsa teneritudine curetur, præpedimentum loquelæ parit; hoc genus morbi latinè fibrarũ linguæ colligamen, & græcè αγκυλογλωσσον dicitur, Et generatur à natiuitate, natura diminuta; Et aliquandò etiam generatur ab aliqua cicatrice, aut ulcere, de quo non erit oratio nostra. Qui laborant hoc morbo à natiuitate habent mẽbranas inferiores, quibus lingua innititur, duriores, et mutilæ

CAVSAE.

Aetius lib. 8. cap. 36.

SIGNA.

à natura productas; & principio tardè in sermonem prorumpunt, ubi uerò loqui cœperint, citrà obstaculum, & satis festinanter loquuntur. Impediuntur tamen in prolatione nominum, & uerborum, quorum alias difficilis pronuntiatio existit, ueluti in quibus R. aut L. aut K. literæ frequenter occurrunt. PROGNOSTICA. Eximitur autem hæc affectio per solam chirurgiam, illo instrumento chirurgico, quod à Græcis αγκυλοτομον uocatur, Aetius ibid. CVRATIO. sed mea quidem sententia in infantibus modò natis melius est eam sensim dissuere, quàm repentè præcidere; Et deinde statim soluta lingua, exertanda, & super illinendum est Aetius ibidē rodomeli, & quandò uolueris incidere linguam sursum attollere ad palatum oportet, etsi membranæ ipsæ causa curuitatis existant, in curuo uncino eas apprehensas, & extensas exscindere, animaduersione habita, ne simul subiacentes uenas dissecemus. Ab opere autem patrato, aqua frigida, aut posca os collunt, posteà inspergatur, manna, thures, imponanturq́; linamenta conuulsa; sequentibus uerò diebus curetur ulcus collutione aquæ mulsæ, aut illitione unguenti ægyptij, linamentis conuulsis, simul impositis. Sed hoc intelligendum est (ut arbitror) in adultis potius, quàm in lactentibus infantibus. Obstetrices uerò probæ statim post ortum infantis, solent hunc morbum numuli acie, aut unguibus, digitisuè dissecare, & hoc tutius est.

DE RANVNCVLO.

CAP. XXXV.

VENARVM tumor ad inflāmationis similitudinē sub lingua infantibus maximè cōtigere solet, et adeò crescit, Paul. lib. 5. cap. 16. MORBI DESCRIPT.

 ac si

Auic.lib.3.F 6.c 17. ac si noua lingua oriretur; Vnde à nõnullis affectio hæc, glãdu la uocatur, græcè uerò βατραχος dicitur, ab Arabibus uerò,

CAVSA. ut ab Auicenna ranula dicitur; quoniam ut ipse inquit, est

SIGNA. similis ranæ. Et causa eius est humiditas uiscosa, à capite descendens. Ex colore simili ranæ, & tumore superficiei uenarum linguæ cognoscitur. Et in infantibus facilè curatur

PROGNOSTIC. hic morbus; Ex mutatione enim, & prædominio humorũ per singulas ætates exsiccatur copia humiditatis, et sic ablata causa tollitur, secundum naturam, affectus. In adultis uerò linguæ grauedo, ab ortu, per aliquot annos perdurãs difficillimè,

VICTVS RATIO. uel nunquã curatur. Victus ratio debet institui uergens ad siccum, & calidum, ut indicatio demonstrat. Curatio uerò istius ægritudinis, ab Aetio duplici modo instituta uidetur;

Aet. lib. 8. cap. 37. uno in perfectæ ætatis hominibus, sectione uenæ, & alijs remedijs, quæ apud eum leguntur; altero in infantibus collutionibus tantum, quarum ratio est ista, R. salis ammoniaci cõ-

RATIO MEDICAMENT. triti, gallarum contritarum an. drac. ij misce, & locus affectus cum eo puluere, & cum saluiæ folijs sæpè fricetur. Vel R. pulueris origani, pulueris corticum granatorum, ammoniaci, salis an. drac. i. s. misce, & utitor. Vel R. floris æris, tragacanthæ, aluminis an. drac. i. s. misce, & omnia conterantur, & diu fricetur (adhibito ipso puluere) locus affectus.



OMNIBONI FERRARII MEDICI AC PHILOSOPHI DE ARTE MEDICA INFANTIVM,

LIBER QVARTVS.

PRÆFATIO.



VM huius artis partem, quæ ad morborum curationes pertinet, nimiã magnitudinem, respectu aliarum, sortituram eße iudicauerim, tùm etiam, ut facilius studiosi ad ipsius artis singularum partium cognitionem perueni re ualeant; eam (aliorum approbatorum scriptorum insequutus exemplum) in duos libros diuidendam putaui; quorum in primo ægritudines capitis; in secundo omnes alias residui totius corporis complexus sunt. Et quia infantes multi a septimo mense, aut paulò post, uel secũdum consuetudines regionum, uel propter necesßitatem, manducare aliquid incipiunt. Propterea ubi curationem aliquã in hoc opere descriptam, nutrici tantũmodò uictus rationem

institentem inuenerint; & præter lactis emulsionem eo in morbo etiam aliquid infantem mādu cantem; operæpretium est, ut tùnc etiam ipsi infanti instituant, in omnibus sex rebus non naturalibus uictus rationem, secundum qualitatem nutrici præscriptam, & loci, temporis, ætatis, et naturæ ipsius uires. Præterea etsi multæ ægritudines, ueluti sunt tonsillarum inflammationes, & asthma, & illæ, quæ descriptæ sunt ab Hip. lib. 3. aphor. 26. & aliæ nonnullæ, magis in tertia ætate, quæ est inter dentitionem, et pubertatem, & extēditur usq; ad duodecimum, & tertiumdecimum annum, quàm in lactentibus infantibus contingere solent; nihilominus de ipsis etiam scribere statui, ne quid in hoc deficere ars nostra uideatur, & studiosi omnia in hoc uno opere simul colligata habere possint.

Hip. lib. 3. aphor. 26.

Gal. ibidem in comm.

DE TONSILLARVM COLVMELLÆQ; INFLAMMATIONE. CAP. I.

Hip lib. 3. aphor. 26.

QVANQVAM in infantibus lactentibus, secundum ipsius Hip. sententiam, affectio ipsa tonsillarum cōtingere non solet, sed tantummodò in tertia ætate, ut expositum fuit à Galeno; tamen rationibus citatis, capite precedenti, excitatus, & ab experientia ductus, eius curationem perstringere uolui. Tonsillæ igitur sunt locorum ad isthmum attinentium inflammationes, et græcè παρισθμια uocantur, quæ proueniunt in ijs infantibus ex influxu à capite humorum crudorum, ad ipsas partes gutturis; Dignoscuntur facilè per uisum; si quis enim aperto plurimum ore toto linguam deprimat, apostema, & ulcera apparebunt; difficultas, præter hæc,

Gal. ibidem

DEFINIT. MORB.

CAVSA.

SIGNA.

deglu

deglutiendi adest. dolor etiam, & interdum febris, undè ex ipso morbo hæc sumuntur præsagia. In infantibus raro accidit hic affectus, nisi cum ceruicis uertebræ affectæ loco excidunt; quo in casu infantibus illis, seù medicamentum non recipientibus, ac tanquam deploratis manum admoliri non oportet. At si tumor fiat in collo, bonum, foras enim morbus deducitur; ueruntamen fauces, dolentes, tenues, cũ quadã difficultate strangulantes uelociter exitium afferunt, qui enim, nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit, & plurimũ doloris infert, ac spirationis difficultatem; hæc enim eodem die, & secundo, & tertio, & quarto strangulat. Indicatio autem istius curationis perficitur, si circà sex res nõ naturales, administrentur ea, quæ habẽt facultatem sistendi fluxionem, & humiditatẽ exsiccãdi. Quapropter tã in aere, motu, & quiete, somno, & uigilia, cibo, et potu; quã in repletione, et inanitione, & accidentibus animæ, nutrix eodẽ modo, quo statutũ est in capite de sternutatione, cũ destillatione catarrhi ab intẽperiæ calida, regatur, ad quod se referat. Deindè infantis aluus, primò, ut præscriptũ est in ipso capite, ex suppositorijs ex melle, & sale gẽma, & colocyntida, si opus fuerit, ducẽda, et proritãda est, ex quibus humores facilius descẽdũt posteà circa initiũ cum gargarismis ex diamorõ, et aqua ordei succurrendũ est; sed quia infantes ipsi uti gargarismis minimè sciũt, propter illius ætatis imbecillitatẽ, Propterea uel cũ coto specillo adalligato illinẽda, uel lingẽda est gula, aut irrorãda est, loco gargarismi: Cõueniunt etiã pro gargarismo diacariõ, diameũ, uel rob nucũ, uel syrupus papauerinus, diatragacãthũ, et tragacãtha simplex. Verũ circa statum mel rosaceum in gargarismis

Paul. lib. 3. cap. 27.

PROGNOSTIC.

Hip. lib. 6. aphor. 37.

Hip. lib. 2. prorreth. tex. 53.

VICTVS RATIO.

MEDICAMENT. RATIO.

Gal.lib.6.de comp.med. sec.loc.c.3.

garismis iniungendum est, ad adiuuandam maturationem, & ficus, & passulæ iniungendæ sunt. Communiter enim cũ tonsillis, tùm columella inflammatis, aut exulceratis, in principio conuenit quies, inedia; & consequens diæta; gargarismi simplices leniter astringentes, in uigore morbi aluus subducatur; gargarismi ex decocto ficuum, aut ptysanæ succo, in quo passulæ sint coctæ. Si uerò tonsillæ ad suppurationem ueniũt, gargarismi fient ex decocto ficuum, aut aqua mulsa calida. Solent etiam muliereulæ ad exsiccãdam humiditatẽ cerebri, apponere in capite infantis stuppam canabis calidam connexam.

Paul.lib.3. cap.26.

At si in febricula tonsillæ, & columella inflamman tur, gargarizationes cum furfurum, aut rosarum, aut palmu larum, aut myxarum, aut lentium decocto competunt, & etiam succus mali punici dulcis cum corticibus contusi parte vi. cum mellis parte i. simul ad mellis usq; crassitudinem decoquantur, & inungantur commendo; similiter cinerem syluestrium hirundinarum à proprietate; nec non lanis succidis collum utiliter protegimus, siue irrigationibus olei oliuarum, aut fomentationibus ex oleo chamæmelino, ad sedandũ dolorem, & digerendum locum affectum, sæpè fouemus; Cataplasmatis etiam utimur confectis ex ipso cinere, & luto nidorum hirundinum, & rosis contritis, & floribus chamæme li, & pinguedine gallinæ, & polenta ordeacea, uel simpliciter lanam succidam, oleo chamæmelino intinctam apponimus.

DE

DE TVSSI EX DESTILLATIONE.
CAP. II.

CV'M nostrum consilium sit, uel prout nos docuit experientia, uel authoritas aliquorum approbatorum scriptorum, de morbis, qui lactentibus infantibus contingunt, pertractare. Propterea cùm ego sæpissimè nonnullos infantes tussi laborantes curauerim, & cum Hip. dicat, in ætatibus autem talia contingunt paruis, & nuper natis puerulis, oris ulcera, (quæ aphthæ uocantur) uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates. Igitur de ipsa tussi rationabiliter animum ad scribendum duximus, quæ nihil aliud est, quàm uehementissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrimè foras erumpens impetu suo extrahit, exploditq; excrementa meatum ipsius obstruentia, quē Græci appellant βηχα; huiusce autem morbi causa est in ipsis infantibus, ut plurimum, humor à capite, ad asperam arteriam destillans ab aeris frigiditate, caliditateuè excitatus congregatusq; : infantes enim in utero materno assuefacti ad aeris caliditatem, demum in lucem producentes, gelidi aeris causa prouocantur ad destillationem, ut dictum est capite proprio lib. ij. uel importuna lactis ingurgitatio ad ipsa in asperam arteriam descendens, uel lumbrici stomachum infestantes, et tussiculam paruam excitantes; Et ex signis istis percipies, an tussis à destillatione frigida proueniat; uidelicet si circa fauces aderit uiscosa pituita, uel superflua humiditas; Etsi aderit pallor in facie infantis, sine siti, & si iuuatur a calidis. Verùm si fuerit à destillatione catarrhi calidi, tùnc erit ru-

Hip. lib. 3. aphor. 24.

Gal. lib. 2. de sympt. caus. cap. 4.

DEFINIT. MORB.

CAVSA. Aet. lib. 8. cap. 54.

SIGNA.

bor in facie, sitis, & à frigidis subleuari uidebitur. Et si prouenerit ab importuna lactis ingurgitatione, cum infans lactis emulsionē incipit, tūc tussis excitatur, & cessante emulsione, exiguo temporis spatio, tussis cessat; At si à lumbricis stomachum infestantibus proueniat, non inuenies in faucibus humiditatem, nec pituitosum excrementum, & tussis parua erit, quæ plerunq; perducit ad sputū sanguinis. At qui gibbi ex anhelitu, aut tussi efficiuntur, antè pubertatē intereūt. Et interdum ex uehementi, & inueterata tussi ducuntur infantes ad phthisim, & hecticam, & ad herniam. Curatio uerò cum tribus indicationibus diuidatur; una est, quæ ad lumbricos; altera, quæ ad lactis ingurgitationē: tertia, quæ ad ipsā destillationē pertinet; Ea, quæ à lumbricis causam trahit in capite proprio de lūbricis, in isto libro absoluetur, et declarabitur: Et ea, quæ ab ingurgitatione lactis uiolēta generatur, curabitur; si nutrix summa cū diligentia lac exhibuerit infanti, adeò non ut in superflua quantitate pro qualibet uice ipse infans lac emulgeat; & tempore, quo optima in stomacho concoctio facta sit. Reliquum est, ut de tussi, quæ ab ipsa destillatione fit, uerba faciam, & bifariam diuidatur, uel ab intēperie frigida, uel à calida. Quoniam si ab intemperie frigida prouenit, tunc aer eligatur ad calidū, & siccum uergens, & nutrix exerceat se quotidiè, hora una, antè cibū, caueat à somno diurno post cibum, & infans pariter; statim post lactis emulsionem in die non dormiat, & somnus sit breuior solito, & dormiat capite eleuato; nam supinum dormire, malū est; Aluus sit lubrica, & præcipuè in infante, cum suppositorijs soluenda est, si opus fuerit; Caueat à uino, replet enim caput.

Auic. lib. 3 F. 10. cap. 4.

PROGNOSTIC. Hip. lib. 6. aphor. 46.

VICTVS RATIO.

& prouocat destillationem; caueat etiam in cibo ab acetosis, salitis, oleribus, allijs, cœpis, porris, & raphanis, à fructibus, à leguminibus; à piscibus, à carnibus bubulis, ouillis, grossis, humidis, uiscosis, crassis, et ijs, quæ sunt difficilis concoctionis, & mali succi. Deindè quotidiè secundum consuetudinẽ fricetur, & balneetur infans, et quia expedit, ut in primis, quod fluit, & tussim generat, prohibeamus, posteà, quod fluxũ est euacuemus. Propterea ad prohibendum, & diuertendũ, conueniunt fricationes, & balnea, ad tollendum uerò quod fluxum est, laudo, prout ego fœliciter sæpissimè expertus sum, ut infanti manè, & serò, & præcipuè cum tussis eum infestat, exhibeatur cochleare unum, uel duo olei amygdalarũ dulciũ recentis admisti, cum s.q. pulueris sacchari candidi, aperit .n. uentrem soluit, tussim emollit, & leniter sine nocumento pituitam educit, mox ad corroborandũ cerebrũ, & resoluẽdã materiã illã crudã destillationẽ facientẽ, ablutiones capiti infantis ex ista decoctione facere poterunt ℞. chamæmeli, meliloti, baccharis, maioranæ, rosarum, an. M.i. misce, & omnia diligenter in lineo panniculo, posteà bulliant in s.q. lixiuij dulcis usq; ad tertias, & ablue, & post ablutionem cum panniculis calidis caput exiccetur, nec non pectus, & totus thorax inungatur ex isto linimento calido ℞. olei amygdalarum dulcium, unguenti pectoralis, butyri ueteris, an. ℥. s. misce, & inunge. Exhiberi etiam poterit sæpè in die modicum ex infra scripto electuario ℞. mellis optimi despumati, olei amygdalarũ dulciũ, succi liquiritiæ an. dr. iij. pulueris myrrhæ, tragacanthæ, galbani an. scrup. s. misce, et f. electuariũ, et utere, et præcipuè cùm tussis infestat; Et si fuerit difficultas anhelitus, MEDICAMENT. RATIO.

litus, puluis ſeminum lini cum oleo amygdalarum dulcium recenti admiſceatur, & præbeatur infanti. Verum ſi tuſſis generetur à deſtillatione catarrhi calidi, tùnc aer potius ad fri gidum uergat, quàm ad calidum, & nutrix, & infans rectè ſe habeant in ſex rebus non naturalibus, prout ſupra præceptũ eſt; Et caueat ab omnibus ſupra ſtatutis, & prohibitis; Nec non ab omnibus, quæ rationem habent calefaciendi, prout ab igne, à ſole, à uentis, ab aere nocturno, et ſimilibus, capitis etiã ablutionibus, et nihil capiti infantis ſuperponatur. fricationes, & balnea quotidiè fiant, lingua infantis, mane ante lactatio nem, molliter comprimatur, ut facilius euomat; nàm uomitione mirum in modum pituitam euacuabit, & deindè ea hora, qua magis tuſſis infeſtat, infanti tribuatur ex oleo amygdalarum dulc. & ſaccharo candido in puluerem reſoluto, ut dictum eſt, cochleare unum, uel duo ad lambendum; uel R. ſacchari penediati dr. ij. ſyrupi iuiubini unc. s. miſce, & cũ tuſſit ad lambendum detur, nàm momento tuſſim ipſam ſedat, & emollit; Vel R. ſacchari candidi contriti dr. ij. aquæ uiolatæ unc. i. ſucci lyquiritiæ drac. s. miſce, & da ad lambẽdum. Pectus pariter ex oleo amygdalarum dulcium, tantũ calido inungatur manè, & ſerò. Vel ſi erit infans ætatis annorum duorum, uel circa, tùnc R. ſeminum cucurbitæ, cucumeris, melonum, citrulli, lactucæ, endiuiæ, ſcariolæ, portulacæ an. ſcrup. i. contundantur omnia, & ex eis s. a. cum aqua uiolarum fiat lac, in quo diſſolue lochſani, & experti unc. i. conſeruæ uiolarum, roſarum an. drac. i. rob granatorum, muſorum, rob de ribes, oximellis ſimplicis an. drac. s. miſce, & coletur, & ex eo ad lambendum ſæpè detur; Ego etiam ſæpè

MEDICAMENT. RATIO.

fœliciter in destillatione expertus sum (dummodo lac nutrici uitiatum non sit) lac eius tantum cum puluere sacchari candidi admistum infanti, cùm tussis infestat, quē leniter emollit, & sedat.

DE ASTHAMATE.

CAP. III.

CVM Infanti aderit modica respirandi difficultas, hic affectus à Græcis uocatur δυσπνοια & cùm uehementior fit, & spirare æger sinè anhelitu, & sono non potest, tunc uocatur ασθμα, si uerò accidat in spirando, ut non nisi recta ceruice spiritus trahatur, tunc ορθοπνοια, nominatur; Vndè sic definitur sicca orthophnæa ea est spirandi difficultas, quæ sine sputis, uel tussi usq; adeò uehemens, ut inclinari citrà suffocationem, qui ita afficitur, non possit. Sed multæ sunt spirādi difficultates, tamen solam illam Hip. consueuit asthma nominare, in qua contingit satis crebrum anhelitum fieri, quā Auic. inter ægritudines infantium uocauit anhelitus malitiam, & ipse Hip. dixit loquens de ipsis infantium ægritudinibus; Cùm uerò iā magis adoleuerint, crebri anhelitus, quos Græci asthmata uocant. De qua anhelitus crebritate, seù asthmatis specie sola à nobis pertractare decretū est, insequentibus iudicium ipsius Hip. & Auic. qui in infantibus de omnibus alijs speciebus, tanquam superfluis, scribere prætermiserunt; Et quæ prouenit à materia crassa, à capite descendente, cum in pulmonis bronchijs fuerit infarcta, & excitatur à caliditate, uel frigiditate aeris extranea, à casu, à percussione, à nimia agitatione, à fumo, & à malis uaporibus, &

DESCRIPTIO MORB.

Gal. lib. 4. de uict. rat. acu. com. 21

Gal. lib. 6. aphor. 46. in comm.

Auic lib. 1 F. 3. doc. 1. cap. 3

Hip. lib. 3. aphor. 26.

CAVSA. Gal. lib. 7. de comp. med. sec. loc. c. 6.

odoribus. Et cognoscitur ex anhelatione frequenti, & spirandi difficultate; & quia interdum materia faciens asthma est, (prout dictum est) in pulmone infarcta, & aliquãdò in aspera arteria, si erit in pulmone, tunc aderit grauitas pectoris, screatus, tussis laboriosa, & difficultas anhelitus. Si uerò erit in aspera arteria, sonus aderit, qui est ueluti in dormiẽtibus oregmõ in respirando, et tussis, et screatus facilis erit. Hæc affectio in febre intermittẽtè, lethale; Et qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, antè pubertatẽ moriuntur, et asthma in senioribus forsan nõ sanatur, et iuuenibus, ut plurimum, est difficilis, & longa. Verùm curandi indicatio, prima est electio aeris tẽperatæ caliditatis, & siccitatis; posteà nutrix, & infans rectè se habeant, in omnibus sex rebus non naturalibus; Et caueant ab omnibus tã in cibo, quàm in potu; quæ descripta sunt capite præcedenti de tussi, nec nõ caueãt à malis uaporibus, & odoribus à fumo: Bibat nutrix decoctionẽ pectoralẽ, quæ hoc modo paratur ℞. ordei mundi, passularum enucleatarum, lyquiritiæ rasæ, capillorum ueneris, uiolarum an. M. i. iuiubarũ, num. xij ficuũ num. x. bulliant omnia in s. q. aquæ pluuialis, usq; ad consumptionem tertiæ partis, posteà coletur, et usui seruetur. Deindè primũ infantis aures, collũ, et linguæ radix inungãtur quotidiè ex oleo oliuarũ, uel ex oleo amygdalarum dulcium, & pectus pariter inungatur, cum inunctione in capite præcedẽti de tussi, descripta; quibus inunctionibus facilè concoquuntur, & intercipiuntur cruditates illæ superfluæ, quæ tàm per adenes descẽdunt, quã quæ in pectore sunt. Præterea Auic commendat, ut cõprimendo linguam infantis uomitũ excitemus; ex quo summum beneficium affertur infanti;

SIGNA. Auic lib. 1 F. 3. doc. 1. cap. 3

PROGNOSTIC. Hip. lib. 4. aphor. 50. Hip. lib. 6. aphor. 46. Auic. lib. 3. F. 10 cap. de sig. asthmatis:

VICTVS RATIO.

Auic. ibidem

MEDICAMENTATIO.

Auic. ibidem

infanti; cõmendat etiam, ut in ore ad lauandum, & abstergẽdum linguam uuulam, & colli regionem aqua calida irroretur; demum laudat hunc lãbitiuum ℞. seminis lini in puluerem resoluti unc. s. mellis crudi unc. i. misce, & f. s. a. lambitiuum, de quo ad quantitatem unius fabæ infanti pro qualibet uice exhibeatur, & si opus fuerit, cymini contriti, parũ iniungito; Cyminum enim ipsum humores pituitosos uiscidos incidit, & asthmaticis confert. Vel ℞. lohoc de pino, diaprasii, diapapaueris, syrupi de hyßopo an. drac. ij. misce, & utitor, in quantitate unius fabæ, Oregmon uerò, qui in dormientibus infantibus asthmaticis contingit, nil aliud est, quã pectoris sonitus, curatur pariter eo modo, quo supra dictum est, de ipso asthmate: At non ille curatur oregmõ, qui prouenit à peripneumonia præcipuè, & ab alijs morbis, quoniam est indiciũ proximæ mortis: Fœliciter etiam curatur sonus, siue oregmon in asthmate, si sæpè infanti exhibeatur huius electuarij pro qualibet uice quantitas unius fabæ ℞. conseruæ nimpheæ, rosarũ an. dr. ij. manus christi, trochiscorũ de cãphora, diarhodon an. dr. s. electuarij de gemmis frigidi scrup. ij. syrupi de hyssopo q. s. ad incorporandum misce, & f. s. a. lambitiuum. Auic. ibidem

DE STOMACHI DEBILITATE.

CAP. IIII.

STOMACHI imbecillitas in infantibus, quæ nihil aliud est, quã ipsius uentriculi uirtus, in coquendo minime functionem suam obire potens, ut plurimum à mala lactis qualitate, uel à corruptione aeris generatur, uel etiam fit ex DEFINIT. MORB. Auic. lib. 3. F 13. trac. 2. c. 4. Gal. lib. 8. de comp. med. sec. loc. c. 3. CAVSAE.

ex copiosa humiditate in ipso sinu, & uentriculi spatio, sine uitio contenta, & hoc præcipuè, in infantibus, qui copiosa humiditate abundant, et affectio ipsa græcè νωτιασμος uel αστενεια στομαχου uocatur.

SIGNA.

Signa si à mala qualitate lactis nutricis proueniat, ex uisu, et experientia apparebunt, si periculũ fiat, & lac exploretur, prout à nobis ostensum est in primo libro huiusce artis, qui legendus est, ut tota res facilius intelligatur. Apparebunt posteà si ab aeris corruptione, uel à copiosa humiditate prouenient signa ipsa, non tam ex difficultate digestionis, alui constrictione, & grauitate, et cibi fastidio, quã ex ructibus acidis, & aliquandò ex nausea, & uomitione. Quòd si humor quispiam in ipsis uentriculi tunicis cõtineatur, nausea quidem uexabit.

Gal. lib. 1 de loc. affe. c. 4

PROGNOSTIC.

Et quia ex hac affectione aliquandò sequuntur diuersæ ægritudines, & præcipuè, quæ à cruditate proueniunt; propterea statim succurendum est. Et si à lactis qualitate originem trahat, alia nutrix lactet infantem; Et prima curetur, secundum indigentiam ipsius lactis.

VICTUS RATIO.

Ipsi nutrici uerò, quæ nutrit infantem, prout sumitur ex ipsa indicatione in sex rebus non naturalibus uictus ratio instituatur ad calidum, & siccum uergens; Et si aluus infantis naturaliter non excernit, quotidiè subducenda est suppositorijs ex melle, & sale gemma compositis. Deinde stomachus infantis ex musco, cum aqua rosacea, uel myrti admisto inungatur; roborat enim ipsum stomachum, & suauissimè etiam corroborat cerebrum; nec non exhibere poteris aliquantulũ ex isto electuario, quotidiè stomacho ieiuno, R. succi cydoniorum, succi mentæ an. unc. ij s. sacchari unc. iij. misce, & parum bullianti; posteà adde pulueris caryophyllorum, cinamomi, ga-

Auic. lib. 1. F 3 doc. 1. c 3:

langæ, mastiches an. scrup. s. misce, & s. a f. electuarium, et utere. Vel alio modo R. succi cydoniorum clarificati unc. iij. galliæ, muscatæ, zingiberis, mentæ, mirrhæ an. scrup. s. conterantur omnia subtiliter, & cum saccharo q. s. misce, & f. lambitiuum, de quo sæpè sumat quotidiè, uel R. specierum aromatici rosati, specierum aromatici caryophillati, secundum descriptionem Mesuæ, specierum diacymini an. dr. i. sacccharo, & aqua rosacea an. q. s. misce, & lento igne. s. a. f. confectio in rotulis unius dragmæ pro qualibet rotula, ex quibus quotidiè stomacho ieiuno unam suscipiat infans; poteris etiam quotidiè manè stomachũ infantis inungere ex oleo de absynthio, uel ex mastiecis, uel ex menta; & si opus fuerit etiam ex caryophillis, & de nuce moscata; sacculi etiam parari solent ex rosis siccis, menta, absynthio, chamæmeli, abrotano, pulegio, calamento, & stomacho adhiberi, qui ualdè concoctionem adiuuant, & uentriculum ipsum corroborant.

DE VOMITV.

CAP. V.

CVM stomachus expellit per os ea, quæ noxia sunt, tũc dicitur uomitus; græcè autem, ἔμετος & differt uomitus à nausea; Nausea enim præcedit ipsum uomitum, & nihil aliud est, quàm quidam conatus ad uomitionem, quæ græcè dicitur ναυτία. Vomitus uerò est affectus uentris superioris, uel multitudine grauati, uel ciborum, excrementorumue qualitatem non ferentis, similis diarrheis. Vomitus autem infantibus fieri par est, propter lactis, quod assumunt multitudinem.

DESCRIPTIO MORB.

DEFINIT. NAVSAE:

Gal. lib. 3. de nat: fac. c. 15

DEFINIT. MORB.

Gal. lib. 3. aphor. 24. in comm.

CAVSAE.

dinem. Et præter ipsam causam, fit etiam propter imbecillitatem ipsius stomachi, uel propter aeris corruptionem, uel mali odoris; et semper uomitionem præcedit, ut dictum est, nausea, subuersio, tremor labiorum, & hypochondriorum tensio.

Auic. lib. 3. F. 10. trac. 5

Et si multæ differentiæ enumerari poterint à diuersis causis excitatis; nihilominus cùm à Galeno in ipsis infantibus, una tãtum enarrata sit causa, quæ est à multitudine lactis; et ea, quæ est ab imbecillitate uentriculi, propter humiditatis multitudinem, iam satis in præcedenti capite declarata, & præscripta sit, & ea, quæ fit, uel ab aere, uel à malo odore, mutatione tantum curatur. Reliquum est, ut ego quoq; authoritatem ipsius Gal. sequens, de ipsa tantummodò uerba faciam.

SIGNA. Hip. lib. 7. aphor. 3.

Quæ cum proueniat ex copiosa lactis aßumptione, apparebit circa stomochum tensio, & grauitas, & post uomitionem subleuabitur infans;

PROGNOSTIC.

à uomitu enim singultus, & oculorum rubor, malum, & uomitus colore albus, aquosus, citrinus, & rubrus uehementer, & obscurus, est malus, et deterior est, qui est sicut flos æris, & niger; Et cui succedit spasmus interficit statim.

Auic lib. 4. F. 2. trac. 1. cap. 29

Vomitio autem utilisßima est, quandò est, pituitosa, & bile permista.

Hip. lib. 2. prognost. c. 7. tex. 38

VICTVS RATIO.

Curatio, quantùm ad victus rationem, ut indicatio ostendit, instituatur, magis uergens ad calidum, & siccum, quàm ad humidum, & frigidum; Et nutrix uescatur cibis boni succi, & facilis concoctionis, & multitudinem lactis infanti interdicat. Et aluus infantis quotidiè excernat, uel sponte, uel arte, cum suppositoris prædictis, capite præcedenti, & pluribus alijs in locis.

Auic. lib. 1 F. 3. doc. 1. c. 3.

MEDIC. RATIO.

Deindè nutrix caryophillos masticet, & in os infantis decenter immittat, & sic pariter cinnamomum, commendantur

tur etiam emplastra, cum medicamentis debiliter uomitum constringentibus. prout, ℞. pulueris rosarum rubearum, sandalorum rubeorum, granorum myrti, mentæ an. unc. s. olei cydoniorum, de mastiche an. partes æquales q. s. misce, & f. emplastrum. Verùm quia aliquandò contingit, propter aßiduam uomitionem, lac ipsum putrefieri; propterea, ea, quæ excernuntur conspicienda, et odoranda sunt. Etenim si odor acidus sit, tūc ℞. thuris contriti, pulueris rutæ, mentæ; an. scrup. s. syrupi de rosis siccis unc. s. misce, & infanti ad lambendum præbe; cōuenit etiam admiscere cum ipso syrupo parum ex pulueribus cymini, & sumachij, & infanti exhibere; omnia etiam, quæ descripta sunt capite præcedenti conueniunt; uel si opus fuerit; ℞. pulueris mastiches, ligni aloes an. drac. s. galliæ, acatiæ, olibani, caryophillorum an. scrup. i. panis usti unc. i. olei de mē ta. uel de cydoneis q s. ad incorporandum misce, & f. emplastrum, & stomacho adhibeatur calidum.

DE SINGVLTV.

CAP. VI.

QVANDO stomachus ex deprauatis functionibus expultricis, et retentricis, quasi conuulsio oris eius, motum quendā uehementē, & uiolentū facit, ex quo rē, quā appetit os eius, et à retētrice nō secūdū naturā amplectitur, infestātē expellere conatur; affectio ipsa à Latinis singultus, & à Græcis λυγμος, uel λυγξ uocatur, causa traditur ab Hip. dicēte cōuulsio fit, uel ex repletione, uel inanitione, ita uerò, et singult⁹, nihilomin⁹ magna ex parte à plenitudine fit sīgult⁹, ut indicāt pueri

DEFINIT. MORB. Gal. lib. 3. de cauf. sympt. cap. 2

Hip. lib. 6. aphor. 39. Gal. li b. 6. aphor. 13.
CAVSAE.

Gal.lib.8.de comp.med. sec.loc.c.3.

crebrò singultientes, cùm sunt repleti; raro autem ab inanitione; Nec non Gal. ipse asserit singultum etiam fieri uidisse ex acribus, & serosis humoribus, & medicamentis stomachum mordentibus, quos ubi uomitu reiecerint, statim singultu liberantur. Qui etiam ex deuorato pharmaco, ex tribus piperis generibus constante, uel ipsomet pipere tenuiter cribrato, si statim uinum posteà biberint, & præsertim calida aqua temperatum, omninò singultiunt, & subiungit. Quamuis pueris maximè ob corruptionem alimenti in uentre, aut ob eiusdem partis frigiditatem singultus accidat.

SIGNA.

Et si singultus ex repletione fit, signa erunt motus singultus subitus, sine aliquo morbo, & post uomitionem, uel alui deiectionem, liberatio, ante cibum stomachi alleuiatio, post uerò grauedo. Si ex inanitione, diuturna alui solutio, dysenteria, febris, uel immodicus sanguinis fluor; si ab erosione stomachi ex humoribus acrioribus post concoctionem suscitatur singultus. Et si ex tribus piperibus singultire contingat; quanquam in infanti raro, aut nunquam hoc accidat, nihilominus ex relatione uel infantis, uel nutricis, si infans loquelæ expers non sit, facilè percipi poterit. At in ipsis infantibus, plerunque post copiosam lactis emulsionem contingit, & præcipuè in ijs, quorum nutrices sunt humidæ, & habent corpus plethoricum, & plus, quàm oportet edunt, bibuntque.

PROGNOSTIC. Hip lib.6.aphor.13. Hip.lib. 5 aphor.3. Hip. ibidem Hip.lib.7. aphor. 3. Hip.ibidem

Prognosticandum uerò est, fore ut singultus sternutatio superueniens tollat, & ubi sanguis multus fluxerit, singultus, aut conuulsio superueniens, malum, et ex superflua purgatione similiter conuulsio, aut singultus superueniēs, malum. Item à uomitu singultus, & oculorum rubor, malū, Indicat enim, uel cerebrum, uel uentriculum pati inflāmationem,

tionem, Et similiter si ab ileo singultus fiat; Et si singultus in altiore sopore, aut animi deliquio, aut tetanis obortus fuerit, mortem non longè abesse denuntiat. Victus ratio autem, si à plenitudine est singultus, ut nobis ostendit indicatio, in omnibus sex rebus non naturalibus, instituatur, uergens ad calidũ, & siccum, & quotidie prouidendum est infanti, omni diligẽtia, ut aluus excernat, uel sponte, uel arte, adhibitis suppositorijs, aut clysterijs. Posteà sternutatio cum modico puluere piperis, uel sinapis, uel castorei in naribus insufflato, excitanda est. At si opus fuerit, uiolentiore motu, linguam eius aut digito comprimendo, aut pẽna oleo intincta uomitus excitetur, ut materia peccans euacuetur, & cum infanti accidit singultus, tunc ei danda est nux indica cum saccharo. Vbi uerò quis ex tribus piperibus sumpserit pharmacum, & singultiat, olei amygdalarum dulc. vnc. iiij. uel aquam ordei, cyathum unũ sumat calidum, uel uomitum excitet. Singultus autem si à lactis mala qualitate proueniat, tùnc alia nutrix lactet infantem, donec primæ lac reducatur ad æqualitatem, & sanitatem. Et si ex frigidis humoribus generetur singultus, deãbulationes, fricationes extremarum partium conueniunt, & somnus longior solito, & inunctiones ipsius uentriculi ex oleis de castoreo, sycionio, styrace, & mastiche, & spiritus retentio, & admotio linteorum calefactorum non raro iuuat. Verùm ubi ab inanitione ortus fuerit singultus, curabitur per alimenti conuenientis assumptionem; & balneo calido ex aqua dulci, uel ex lacte balneandus est quotidiè, manè, stomacho ieiuno, & posteà oleo amygdalarũ dulciũ inungendus; Et si per ætatẽ licet, cibãdus est ptisana, et aquæ melonũ bibẽdæ sunt.

Aetius lib. 9 cap. 5.

VICTVS RATIO.

Hip: ibidem

MEDICAMENT. RATIO.

Gal. lib. 8: de comp: med: sec: loc: c: 3

Auic lib. 1 F. 3. doc. 1. cap. 3.

Aetius ibidẽ

DE

DE COLICO SEV VENTRIS DOLORE.

CAP. VII.

DEFINIT. MORB. Gal. lib. 12. met.med. c.7

CVM nihil aliud sit dolor, quã tristis sensatio, à subita, ac uiolenta mutatione facta, ad tactum tantummodò pertinens, & omnis dolor euenire soleat, aut per cõsensum, aut primario affectu, si in uentre infantium contingat; ut aliquã dò fieri uidetur, adeò ut torqueantur, et miserrimè plorent, cũ est in toto uentre, erit in omnibus intestinis; & tunc à Græcis uocatur αλγος γαστρης cùm uerò erit in parte, prout in crassis intestinis, tantummodò ab affecto loco dicitur κωλικη διαθεσις. Si in gracilibus intestinis, tùnc uocatur uoluulus à Latinis, et à Græcis, ειλεος, sed de ista specie morbi scribere opus nõ esse iudicaui in hoc opere; quoniam eam in infantibus nunquam contingere uidi, nec auctorem approbatum de ea scribentem; proptereà de solo colico dolore agendum esse censeo; cuius cau

CAVSAE.

sa, ut plurimum est in infantibus, humiditas cruda, qua ualdè abundant, uel propter lactis malam qualitatẽ, uel propter imbecillitatem uentriculi, excitatam ab hypochondriorũ partibus obstructis, etiam uel à balnei frigiditate, uel etiam à frigiditate pedum, propter humiditatem generatur: Et aliquandò si aliquid præter lac, sumpserit in cibo, à mala ipsa qualitate cibi, ueluti à fructibus fugacibus, & similibus; indicabũt

SIGNA.

signa ista; si cum ploratu continuè infans contorqueatur, & si aluus constricta sit: Et si aliquandò uomitus infestet, & si sitis intensa, & uigiliæ perseuerent. Et si à cru-

Gal.lib.2.de loc.affe. c.5 Auic. lib. 6. trac.3.c.7.

da humiditate dolor ipse excitatur, tunc uomitus, & tensio, & tormina aderunt. Verùm si à flatu dolor generetur, tùnc ructus plures, & flatus abundabunt, & do-

lor

lor mobilis erit, adeò ut quandoq; in uno, & quádoq; in altero loco percipiatur. Prædicere autẽ dolores cõuenit, qui cũ febre affligũt circà lũbos, et inferas sedes; si præcordia attigerint, inferas sedes relinquẽtes, exitiales admodũ sunt. Et quibus tormina, et circà umbilicũ labores, & lũborũ dolor, qui neq; medicamẽto, neq; aliter soluitur, in aquã inter cutẽ siccã firmatur. Et dolores uẽtris sublimes leuiores, qui uerò non sublimes fortiores, et in forti dolore uẽtris partiũ extremarũ frigiditas, malũ, et à uẽtris dolore diuturno suppuratio. Indicatio autem istius curationis, hoc pacto, perficitur, cũ oĩs dolor in genere dupliciter curã admittat. Primo in remotione eius causæ, qua ablata tollitur affectus, .s. dolor. Vel alio modo in sedatione ipsius doloris. Propterea si à lactis qualitate prouenit, ut remoueatur ipsa causa, alia nutrix lactet infantẽ, donec prima, secũdũ artẽ curetur. Si uerò ab humore crudo, tunc uictus ratio instituatur ad calidum, & siccum, uergẽs in oĩbus sex rebus nõ naturalibus, et nutrix uescatur cibis boni succi, et facilis cõcoctionis. Veruntamẽ quia Hip. lac dare, quibus ilia suspẽsa murmurant, esse malũ docet. Propterea si infans est ætatis annorũ duorũ, uel circà, si possibile erit, per diẽ saltẽ naturalẽ, lac non emulgeat, sed nutriatur ferculis cum pane, uitellisq; ouorum, & oleo amygdalarum dulcium, conditis: Et statim (prout ego sæpè fœliciter expertus sum) exhibeantur ipsi infanti unc.iiij. olei amygdalarum dulc. recentis, per horas quatuor antè cibũ: soluit .n. uentrem, & dolorẽ lenit: Deindè perseuerãte dolore fiãt fomẽtationes, hoc modo paratæ ℞ chamæmeli, meliloti, thymi, pulegij, rosarũ, an. M. i. seminum lini, anisorũ, fœnigreci an. drac. ij. misce, & omnia bulliant in s.q. uini

PROGNOSTIC. Hip. lib. 2: prognost. c. 13.

Hip. lib. 4. aphor. 11. Hip. lib. 6 aphor. 6. Hip. lib. 7 aphor. 26 Hip. ibidem

VICTVS RATIO.

Hip. lib. 5. aphor. 64

RATIO MEDICAMENT.

uini albi; mox cum spongia infusa, bis in die, per horam unã, ante cibum, & posteà optimè expressa, statim calida, fomentetur ter, aut quater locus dolens, & inungatur oleis istis calidis. R. olei anethini, de ruta, de chamæmelo an. unc. s. misce, & inunge. Verùm si à flatu prouenerit dolor compertum est tantummodò cum fomentationibus præmissis dolorẽ ipsum sedare; sed tamen prius aliquo clystere communi aluo subducta, hunc in modum parato. R. florum chamæmeli, meliloti, thymi, maluarum an. M. i. seminum anisorum, cumini, an. drac. ij. misce, & bulliant in s. q. aquæ ad tertias. posteà coletur, cuius decoctionis R. unc. vi. olei de ruta unc. ij. mellis rosati unc. ij. sacchari unc. i. salis q. s. misce, & cum parua ad scribendum penna anseris, utroq; capite reciso alligata ad collum uesicæ unius, in qua prius posita sint omnia, clystere parata penna intromittatur in anum, & s. a. f. clyster. Vel apponatur super locum dolentem cucurbitula sicca sine scarificatione, resoluit enim mirum in modum flatus omnes, & uidetur habere incantamenti similitudinem.

Gal. lib. 12. met. med. c. 8

DE FLVXV VENTRIS.

CAP. VIII.

DEFINIT. MORB.

FLVXVS uentris, qui dicitur græce διαρροια est alui profluuium diuturnum, copiosum, sine phlegmone, et exulceratione, de quo intelligere uoluit Auic. cum dixit; Et ex eis, quæ infantibus accidunt est uentris solutio, & propriè cũ dentes nascuntur. Et de quo nùnc uerba facere, & curationem perstringere institui; cuius causa duplex est; una à materia calida; altera à frigida proueniẽs; quæ à calida excitatur,

Auic. lib. 1: doc. 1. cap. 3

CAVSAE.

Auic. ibidem

ut

ut plurimum, fit à dolore ex dentium productione suborto; à frigida uerò ab aeris ambientis qualitate, uel à multitudine humorum superflua. Infantibus enim accidit uentris solutio, cum dentes nascuntur, & quidam sunt, qui dicunt, quòd sit propter superfluitatem salitam; sed fieri potest etiam alio modo; immò propterea quod natura impedita in generando membrũ, non benè digerit. Aliquandò etiam gignitur iste morbus à mala qualitate lactis serosa. SIGNA, si fluxus est à materia calida, excremẽta erunt colore citrino intincta, & excernuntur cum aliquo acore, et sine mora. Si uerò à materia frigida, excrementa pituitosa, alba, et cum tormine excernuntur. Et si à lactis mala qualitate, experientia docebit, si periculum fiat. Prædicendum uerò est, in longis intestinorum leuitatibus, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum esse indicat. Et omnia uentris profluuia post ægritudines acutas symptomata esse mortalia, quia corruptionem repentinam portendit. Curatio si rectè institui debet, in primis animaduertenda sunt ea, quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè; nàm neq; mouere, neq; nouare aliquid, siuè medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportet. Et si hoc paucum fuerit, non de eo debes laborare. Tota igitur curatio naturæ permittenda est; Ab ijs enim, quæ lædere poterant, sic per ipsum fluorem corpus expurgatur. Verùm si profluuium ipsum perseueret usq; ad dies sex, uel septem ad summum spatium, & perseuerantia ipsius periculosa est; aliquandò enim tormina, & febres excitat, uiresq; consumit. Propterea transactis diebus sex, si adhuc perseueret, Si nutricis lac peccat, tùnc alia lactet infantem; posteà si excrementa biliosa erũt;

SIGNA.

PROGNOSTIC.

Hip. lib. 6. aphor. 1.

Auic. lib. 3. F. 16. trac. 1 cap. 2.

Hip. lib. 1. aphor. 20.

Auic. ibidem

VICTUS RATIO. uictus ratio nutrici instituatur circà sex res non naturales, ad frigidum, & siccum uergens, prout indicatio nobis ostendit eo modo, quo præscriptum est in capite de alui profluuio nutricis in primo libro huiusce artis, qui legendus est; somni in infante sint longiores solito, caueat ne infans balneetur, et simplices fricationes fiant. Postea ei quotidie succurrendũ est epithematis, quæ comprimendi facultate prædita sunt, cõpescere conabimur, inspergentes lanæ uel cyminum, uel anethum, uel apiũ. Proderit etiã semen rosarũ inserere, & in uniuersum calefacientibus arefacere. Et succurrendũ erit ei embrochando uentrẽ eius ex semine rosæ, aut cymino, aut aniso, aut semine apij, aut uẽtri ipsius emplastrũ superponendo, ex cymino, & rosis madefactis cũ aceto, aut prout dicũt Arabes cum giaures vz. panico decocto cũ pauco aceto. Et si nõ iuuerit hoc, hædi coaguli sexta pars drachmæ unius, et quod est supra cũ aqua frigida dãda erit; sed cauere oportet, ne ea die, in qua coagulũ sumit ipse infans, lac emulgeat ne in ipsius stomacho coaguletur, & caseus fiat. At loco lactis nutriatur ex uitellis ouorũ, et ferculo ex pane, quod Itali panatellã uocant, in iure carniũ cocto; uel si hæc nõ suffecerint ℞. papaueris, granorũ myrti, libani, thuris masculi, cyperi an. drac. s. cõterantur omnia subtiliter, posteà cũ lacte nutricis q. s. aut syrupi de myrto misce, & infanti aliquid ex eo ad propinandũ præbe. Conuenit etiã exhibere, si fieri poterit, syrupũ de rosis siccis, uel de myrto, uel miuã cydoniorũ cũ succo mentæ, uel cũ lacte nutricis, uel parũ sanguinis draconis; Et uentrẽ quotidie inũgere præstat oleo myrtino, de cydonijs, uel mastichino. Porrò si à materia frigida, pituitosaq; profluuiũ generetur, tùnc uictus ratio institua-

tur

Paul. ægin. lib. 1. cap. 9.

MEDICAMENT. RATIO. Auic. ibidem.

Nota 7 s.

tur ad calidũ, & siccũ uergens, & stomacho adhibeatur sacculus ex menta, absinthio, origano, abrotano, pulegio, et rosis siccis, et pulueribus caryophillorum, cinnamomi, olibani, galãgæ, et similium; inungatur etiã quotidie totus uẽter, et stomachus ex oleis de absynthio, de spico, de myrto, et de cydonijs; Deindè R. pulueris galliæ, olibani, spodij, an. drac. s. miuæ cydoniorum unc. i. misce. & ex eo ad lãbendum præbe; Vel R. cõfectionis de corneis, confectionis de sorbis, de mespilis an. unc s. coralliorũ rub. seminum rosarum rubearum. acaciæ, hypocistidos an. scrup. i misce, & cõterenda conterantur; posteà cum succo cydoniorum q. s. f. mixtura liquida, de qua quotidie infãti exhibeatur manè, & uesperi drac. i. necnon parare poteris emplastrum hoc, si opus fuerit, R. farinæ ordei, milij an. unc. ij. pulueris rosarum, thuris, croci, boli armeni, sãguinis draconis, mastiches, balaustiorum an. dr. i. s. lutei ouorum duorum, aceti fortissimi q. s misce & f. emplastrum, quod calidum applicetur uẽtri. Postremò si ex prædictis fluor non cõpescatur, tũc R. acaciæ, cerusæ an. drac. i. opij grana ix. & s. a. f. suppositoriũ, quo alui osculo intruso, statim arcere profluuium uidebis.

DE DYSENTERIA.

CAP. VIIII.

QVAE à Latinis difficultas intestinorum, seu tormina, & à Græcis δυσεντερία uocatur, nihil aliud est, quã intestinorum ulceratio cum phlegmone, & cruentorum, fæciũq; similium strigmentorum secretione, nõ sine alui intestinorũq; morsu, ac cruciatu, causæ plures sunt, sed in infante, aut ab aeris frigiditate, caliditate ue, aut à lactis acrimonia, & serosi

Gal. lib. finit. med: DEFINIT. MORB.

CAVSAE.

serositate, humores generante, qui posteà intestina paulatim erodunt, prout bilis, & pituita salsa. Signa sunt dolor uẽtris, punctio, & frequens deijciendi cupiditas, in qua frusta intestinorum cernuntur, excrementa sanguinolenta, saniosa cum excoriatione, & odore fœtido; at quia materia, quæ ad intestina fluit semper peccat, aut in caliditate, aut in frigiditate. Propterea si materia erit calida, tùnc excrementa erunt colore citrino, sanguinolenta, biliosa, & ægritudo uehemens. Et si fuerit à frigida intemperie, tùnc exhibunt excrementa uirulenta, aquositate albida, & odore grauia. Verùm si ab atra bile incæperit difficultas intestinorum lethalis est; Et à difficultate intestinorum habito, si ueluti carunculæ exeant lethale est, quia carnem in his concrescere, uel cicatricem induci nõ speramus, Et in lõgis difficultatibus intestinorum inedia ex fastidio, malum, & cum febre peius. Et in profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat. Et à deiectione syncera difficultas intestinorum, malũ; Et magna effusio sanguinis puri post dysenteriam, ualdè mala; Secundum, ulcera intestinorum perducunt ad hydropem. Tertium, conuulsio, uomitus, singultus, & conturbatio rationis post dysenteriam, mortem; Quartum, qui habet dysenteriam, et apparet post eius aurem sinistram, ueluti res nigra, similis orobo, cum uehementi siti, moritur in decima; & nõ tardat, nec euadit. Restat ut de curatione ipsa (his peractis) uerba faciam, tametsi raró morbus hic infantibus et præcipuè lactentibus contingat; nihilominus, si euenerit facta in primis experientia, si lac in causa erit, quod si erit, tunc alia nutrix (lactente infirmo) lactet ipsum infantem. Victus ratio instituta

SIGNA. Gal. lib. 6. de loc. affe. c. 1.

PROGNOSTIC.

Hip. lib. 4. aphor. 24

Idẽ aphor. 26:

Idem lib. 6 aphor. 3.

Idem lib. 2. aphor. 14.

Idem lib. 7 aphor. 24

Auic. lib. 16 trac. 1 c. 2.

VICTVS RATIO.

stituatur nutrici, circa sex res non naturales, habita prius ratione, & inuestigatione indicationis, an à materia calida, an à frigida proueniat dysenteria, eo modo, quo institutum est, capite de diminutione lactis ab alui profluuio nutricis libro primo huiusce artis. Nec non medicamentorum ratio statuenda est cum inunctionibus, emplastris, & sacculis, qui stomacho, & ventri instituti sunt in praecedenti capite. Posteà consentiente aetate, si possit fieri, infanti exhibeatur reubarbari electi, & mundi, contriti scrup. i. uel scrup. s. cū saccharo rosato, uel iure pulli, aut lacte nutricis; Deindè perseuerante morbo, si opus fuerit, sumat aliquid ipse infans ex istis syrupis, scilicet ex rosis siccis, ex menta, ex myrto, ex cydonijs, et similibus, ità ut opus est dissolutis cum aquis plantaginis, endiuiae, et similium, & si ipse infans nihil ex ipsis syrupis sumere poterit, nutrici quotidiè, si lactet ipse infans, in diluculo syrupus exhibeatur, hoc pacto, R. syrupi ex rosis siccis, ex myrto, miuae, cydoniorum an. unc. s. aquarum plantaginis, endiuiae, portulacae an. unc. i. misce pro syrupo. Mox si opus fuerit, denuò cū fuerit facta aliqua digestio, reubarbaro contrito, materia peccans educatur. Vltimo loco excoriationem intestinorū lauare, & demum conglutinare opus est. Lauatur excoriatio clysterijs, hoc modo, paratis. R. aquae ordei lib. s. uitelli unius oui, sacchari rubei unc. i. misce, & f. clyster, vel R. lactis ouilli, uel uaccini, uel caprini lib. s. uel unc. viij. (aut plus, aut minus, aetatis ratione habita) olei rosati unc. ij. sacchari rub. unc. i. misce, & fiat clyster, & quotidie lauare oportet excoriationem bis, aut ter in die. Ad conglutinandum excoriationem uerò, R. iuris carnium pinguium unc. viij. albuminis duorum

MEDIC. RATIO.

rum ouorum, adipis renum caprarum liquefacti drac.iij. gummi arabici drac.ij. misce, & f. clyster. Nec non ut citius conglutinetur, clysteribus iniungere poteris bolum armeniã, tragacãtham in puluerẽ redactã an. dr.i. & loco iuris carnium, lac ouillum etiã conuenit. Et si excoriatio cum ulcere iuncta sit, tùnc abstergere, & mundare, & demum cõsolidare ulcus operæpretium est. Ad abstergẽdum fiant clysteres ex sero lactis, uel ex decoctione furfurum frumenti, uel aqua mellis. Et ad consolidandum, in clysteribus decoctum hoc inungito R. lẽtium, balaustiorum, corticum granatorum, sumachij, coriandrorum, an. partes æquales puta M. s. bulliant omnia simul lento igne in s.q. aquæ, postea s.a.f. decoctio, cuius decoctionis R. unc.viij. pulueris boli armeni, terræ sigillatæ, sanguinis draconis, thuris an. drac.i. binos uitellos ouorum, misce, & f. clyster, & quotidiè exhibeatur, usq; ad consolidationem.

DE TENESMO.

CAP. X.

SEQVITVR aliquandò, sed raro, in ipsis infantibus etiam morbus ille, qui uocatur à Græcis τεινεσμος, & à latinis quibusdã tenesmus, et tinesmus, & ab alijs etiã tenasmus, ut à Plinio, qui nihil aliud est, quàm dispositio recti intestini ad partes inferiores pertinẽs, in qua impetus, cupiditatesq; desidẽdi plures, sed paucæ excretiones sequuntur. Causa uel est in lõganone, siue recto intestino inflãmatio, de qua mea nõ erit oratio, tãquã in paruulis ipsis infantibus superflua, uel prout plurimum accidit caliditas biliosa, aut frigiditas illuc ab humiditate pituitosa, & crassa collecta, excernẽdi cupiditatem inducens.

Plin. lib.28. cap.14. Gal. lib. finit. med.

DEFINIT: MORB.

Paul. lib.3 cap.41

CAVSA.

Auic. lib.3. F.16. trac.1 cap.16.

cens. Signa sunt desidendi cupiditas, cum conatu ad excernẽ dum; ubi primo pingue, deindè cruentum egeritur. Et facilius curatur tenesmus, quod nõ fit post dysenteriã. Et Paulus etiã asserit tenesmum per se ortum, aliquãtulumq; progressum cõ quiescere. Victus ratio igitur nutrici instituatur, si infans adhuc lacte nutritur, si erit à materia frigida, prout signa, et excremẽta indicabunt, ad calidum, et moderatè siccũ uergẽs; & caueat à ualdè stypticis, et cõstringẽtibus. Et si prouenerit à materia calida, biliosa, tunc uict' ratio instituatur, ad frigidũ moderatè, et humidum uergẽs, et caueat à uino; Et cum tu ei bas, cibus eius sit lac recẽter mulctum, decoctum, quoniã retinet fluxum desuper, et lenit locum, et caueat à uino, à ualdè amaris, acribus, salsis, acetosis, et ab oĩbus, quæ fæcẽ exsiccãt, et exasperãt. Indicatio curationis ipsius tenesmi, uertitur ad causã ipsius morbi; et tripliciter diuiditur. Prima, prohibitio materiæ imbibitæ in intestino. Secunda eius resolutio. Tertia est sedatio acuitatis materiæ, et malæ cõplexionis eius. Propterea quoad prohibitionẽ materiæ; si fuerit causa apostema calidũ, stude in retinendo id, quod currit ad apostema; idest caue à rebus calidis, & cum imminutione cibi, prout à nobis decretum est, immò ieiunet. Verùm quod ad resolutionẽ attinet, si fuerit fæx sicca, cura cum clysteribus lenitiuis, puta cum lacte uaccino, aut aqua ordei calida, cum albumine oui, aut oleo rosaceo, aut iure carniũ simplici, ut mollietur, aut cum cerato ex oleo chamæmelino, aut anethino, cũ bdellio, et cara uẽter mollificetur, aut cum oleo calido simplici, in quo ponas spongiã, et appropinques loco. Quod uerò ad sedationẽ acuitatis materiæ peccãtis attinet; Si fuerit causa frigus adueniẽs cũ potionibus, &

SIGNA. Auic. ibidem
PROGNOSTICA.
Paul. ibidem
VICTVS RATIO.
Auic. ibidem
RATIO MEDICAMENT.
Auic. ibidem

clysteribus calidis; prout uaporationibus cum pannis calidis, & cum furfure, cum quo uaporabuntur anus, & coxæ, et pecten, & emunctoria, & sedeat infans super milium, & salem cale factũ, & prius ambobus in panniculo positis, aut fomentetur anus, cum spongia expressa ex aqua calida, quæ prius ebullierit cum rebus anodynis, ueluti chamæmelo, pulegio, thymo, origano, calamintha, rosis, seminibus anisorum, fœnugræci, lini, posteà statim post fomentationem inũgatur anus oleo chamæmelino, anethino, & de cydonijs. Vel abluatur ipse anus uino calido, & oleo omphacino mistis; aut sedeat infans in balneo aquæ calidæ, uel sedeat super terram calidam. Nutrix præterea si tenesmus excitatur à frigidis, et humidis, quotidiè, manè, ieiuno stomacho, sumat cum iure carnium drac. i. istius pulueris. ℞. seminum anisorum, nasturcij, cumini an. drac. ij. torrefiant, posteà s. a. f. puluis subtilissimus, & si etiã scrup. i. cum lacte de ipso puluere infanti præb ere poteris quotidie, mirum iuuabit; si tamen, ut dictum est, tenesmus erit à materia humida, & frigida, quoniam si fuerit à materia calida nocebit.

DE ALVI CONSTRICTIONE.

CAP. XI.

DESCRIPT MORB. Auic. lib. 1 F. 3. doc. 1. c. 3: Hip. lib. 3. aphor. 25. Gal. ibidem in comm. CAVSAE. Gal. lib. 2. aphor. 20.

CONSTRICTIO siue astrictio alui, quæ græcè dicitur πίλησις γαστρος, accidit interdum in infantibus; et ijs præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent; causa, ut plurimum est, crassities, quæ sua frigiditate à partibus uentris, bilem, quæ deiectionem stimulat, expellit; Quapropter excrementa, sine ipsa bile ægrè excernuntur, uel etiam ge

nera

neratur ob longiorem solito somnum, uel si infans assuetus fuerit ad balneum, & fricationes, propter earum carentiam, uel quia si bilis aliquo modo petat ad aliquid mēbrum supra pectus, adeò ut ad hepar, & ad aluum nihil fluat. Vel propter cibi maiorem, aut minorem assumptionem, quàm hepati, uiribus congruat. Vel ob retentiuæ robur excrementa exsiccans. Signa per se satis manifesta sunt. Propterea prædicendum est, infantem ipsum ab alui siccitate, aut astrictione facilè corripi, à uētris, uel stomachi, uel capitis dolore, et ab alijs diuersis ægritudinibus. Indicatio autem istius curationis perficitur, si in sex rebus non naturalibus, nutrix regatur ijs, quæ habēt facultatem calefaciendi, et humectandi. Infans igitur quotidiè fricetur, & balneetur; posteà succurrendum est cum suppositorijs ex stercore muris, aut ex solo melle, uehementer coctum, aut cum mentastro, aut cum radicibus ireos, sicut sunt, aut combustis, aut ad comedendū detur eis parum mellis, aut terebenthinæ, secundum quantitatē unius ciceris, & uēter eius fricandus subtiliter est oleo, aut liniatur ipsius umbilicus felle bouis, & ut dicunt Arabes buchormariem, idest cyclamino. Nec nō clysterijs ex iure carniū, uel decoctione herbarū quatuor communium, uel ex oleo dulci oliuarū, uel amygdalarū dulciū addendo, si opus fuerit, clysteribus, parum mellis rosati, & suppositorijs parum salis gemmæ, & hieræ picræ.

SIGNA. PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

Auic. ibidem

MEDICAMENT. RATIO.

DE INFLATIONE VENTRIS.

CAP. XII.

ACCIDIT etiam infantibus morbus ille, quē uentris inflationem Latini, & Græci εμφυσημα γαςερος uocant, qui

DESCRIPTIO MORB. CAVSAE.

Gal.lib.3.de sympt. caus. Paul.lib.3 cap. 38

qui prouenit à spiritu flatuoso, & calore imbecilli existente, generatur in intestinis, & peritoneo, & etiam quandoq; colligitur in uentriculo; sed ego etiam expertus sum prouenire in ipsis infantibus, quasi hydropen ab aquositate lienis, aut hepate obstruente, propter malam uictus ratione a nutrice praeteritam. Et praecipue in ijs infantibus, qui comedere incipiũt uel qui antè temporis usum ablactati sunt. Signa si ab aquositate, propter uiscerum obstructionem prouenerit, erunt tumor, tensio, & durities in hypochondrijs. Si uero à flatuosa materia uenter intumescat, tunc percussus ipse instar tympani, sonum edit; communiter autem uentris inflatio spirandi difficultatem, tumorem, grauitatem, ac uitiatum calorem inducit. Et morbum à flatu facile curatum iri praedicendum est; ab aquositate uerò, & obstructione, curatio difficilis est. Victus ratio instituatur uergens ad calidũ, & siccũ. Et indicatio cũ aperiẽtibus, et emollientibus, si uiscera sunt obstructa, succurrendũ esse demonstrat. Nutrix caueat ab aqua, ab oleribus, ab humidis, à leguminibus, à crassis frigidis, & duris, & à rebus flatuosis, uescatur cibis calidis, & exsiccantibus, & boni succi, & facilis concoctionis. Quotidiè exercitio incumbat, uitet diurnum somnum, post cibum, aluus excernat, & praecipuè in infante, uel sponte, uel arte. Et si à spiritu flatuoso prouenit, tùnc curationis indicatio est corpori raritatem inducere, & attenuare ipsos medicamentis afferentibus calorem, competit elixantes oleo cymini, apij, herbae rutinalis, & dauci semen & eo calido uentrem inungendo. Cõuenit etiam decoctum nepetae, admisto mellis exiguo, & piperis drachma, et uentri superpositum; sufficit etiã fotus ex milio

SIGNA.

Alexander Tral.li.9.c.2

PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

MEDICAMENT. RATIO.

Paul.ibidem

lio: cucurbitula uerò amplissima umbilicum undiq; complectens sæpenumerò liberat. Fomentationes etiam, uel ex rebus anodynis, uel ex summitatibus sambuci, & ebuli in uino albo ebullitis flatus discutiunt, & morbum tollunt; si uerò propter obstructionem lienis, aut hepatis ab humore crudo, aut aquoso inflatio facta sit; tunc in primis, si infans sit in ætate cōpetenti, paulatim à lacte dimoueatur. Nā lac dare, quibus hypocondria suspensa murmurant, malū est; posteà cū fomentationibus ex rebus anodynis ebullitis in uino albo, quotidie manè, et uespere succurrendum est, per horā unā antè cibū; posteà statim cum inunctionibus emolliendū est iecur, uenterq;, et præcipuè si ipsum iecur obstructum sit ex oleo ex absynthio confecto, uel ex eupatorio, ex chamæmelo, ex spica, & similibus calefaciētibus moderate. Nec nō cū emplastris ex absynthio, chamæmelo, et rebus anodynis, et farinis, seu pulueribus fœnugræci, seminū lini, et anisorū. Lieni uerò succurrendū est cum fomētationibus prædictis ex rebus anodynis, et radicibus capparorū, asparagorū, cetrac, cētaureæ minoris, et aceto acerrimo decoctis, et cū oleis ex capparibus ex lilio, ex ruta, et anethino, et ex amygdalis amaris, et similibus, et cū emplastris de meliloto, et ceratis ex ammoniaco, bdellio styrace, opponace, & galbano, ex adipe gallinaceo, medulla ceruina, et pulueribus scolopēdrij, corticū capparorū, aceto dissolutis, et secundū artem paratis, & si fieri poterit, infanti præbeatur, tā propter lienis, quā propter hepatis obstructionem, aliquid reubarbari contriti, uel cum passulis præparati, uel cum saccharo rosato Verùm si cū passulis quotidiè cochleare unum exhibeatur, si cum saccaro ros. scrup. s. de tertio in tertium exhibeatur, secundum

Hip. lib. 5. aphor. 64.

exigentiam ætatis; poteris etiam cum ferculo, quod uocant panatellam exhibere drac. i quotidie pulueris cetrac, si lien affecta sit; nàm mirum in modum confert, obstructiones aperiendo. Quibus rationibus medicamentorum, adultos etiam hac affectione laborantes sanaui, ut mihi testis est ANTONIUS BEFFA de Negrinis, uir nobilis Brixiensis, in studio bonarum literarum à pueritia uersatus, & uerè ad fœlicia, & elegantia carmina diuina quadam propensione naturæ, & ingenio fœlici pangere natus, & mei amantissimus, qui in Augustino eius fratre, liene laborante, hanc rationem medicamentorum (me consulente) fœliciter expertus est.

DE LUMBRICIS.

CAP. XIII.

Hip. lib. 3. aphor. 26.

TAMETSI lumbrici, qui à Græcis ἕλμινθες uocantur in ijs infantibus qui magis adoleuerint, ut plurimũ contingãt, scilicet ijs, qui mediã habent ætatẽ, inter illos, qui iã dentes ediderunt, & qui sunt pubertati proximi; quoniam in ipsis

Gal. ibidem in comm.

tenellis infantibus (ante dentiũ productionẽ, uel cibi solidi comestionẽ) propter imbecillitatem caloris innati minimè, et in adultioribus materia idonea est, ad animaliũ talium generationẽ; nihilominus testor ego uerè me infantes bimos, uel circa à lũbricis sæpè uexatos uidisse, & curasse; proptereà ab huiusce artis nostræ libris, curationẽ ipsorũ resecãdã haud quaquã cẽseo. Lumbrici igitur uidentur, prout alijs animalibus proportionaliter gigni, qui non ex semine, sed ex putredine habent generationẽ, quẽadmodũ in magno mũdo, ita & in corpore humano sunt genera ipsorũ; quorũ unũ est teretiũ; alterũ latorũ;

DESCRIPTIO MORB. CAVSA.
Arist. lib. 5. de nat. animæ cap. 19.

ter

tertiũ ascaridũ. Ascarides autem sunt tenues quidã lũbrici, qui in parte præcipuè inferiori crassi intestini gignũtur. Aliud uerò genus lũbricorũ est rotundorum, hoc est teretũ qui in superioribus màgis intestinis generãtur, adeò quòd ad ipsum quãdoq; uentriculum ascendunt; Multò uerò plures hi, quã ascarides gignũtur in pueris. Rarior autẽ lumbrici lati est generatio, qui et est lõgissimus, & sæpè per tota extenditur intestina. Verùm quoniã de hoc genere nullã fecit Hip. in infantibus, tãquã superfluã mentionẽ, loquens de morbis ipsis infantibus contingentibus; properteà de ipsis tantummodò rotundis, siue teretibus, & ascaridibus lumbricis, non tantùm ab ipsa auctoritate ipsius Hip. excitati, quantũ ab experientia edocti; erit intentio nostra uerba facere; in infantibus .n. fateor ego ingenuè nũquã uidisse alterius, quã rotundæ formæ. Causa igitur istius ægritudinis est putredo, quæ nascitur, ut plurimum, ex crassa, et pituitosa materia. Signa rotundorum sunt hæc, in superiorem uentriculum procurrunt; proindè sequitur incredibilis morsus stomachi, uentris, & intestinorum, per os nõ raro eijciuntur, nõnullis uerò per nares, et magna quidẽ ex parte cum febre existunt, & cum tussi exigua, siccitate, in somno tremore, et præter cõsuetudinẽ excitatione, clamore, terrore, singultu, et extrà os linguæ missione, oculorum clausura, et aliquãdò taciturnitate, et cum molestia uigiliarum, et ira, et dentium fremitu, et comestione superuacanea, præsertim si infantes fuerĩt quidã eorum neglecti motu, pulsuq; destituuntur, ac refrigerãtur, tenuẽ, ac frigidum sudorẽ exsudant, in facie color rubrus apparet, et uariatur, prostratio appetitus, decubitum transmutãt nauseabundi, multis etiã aluus descendit, corruptos cibos

ege

Gal lib. 14. met. med. c. 15. & 18. & 19.

DESCRIPT MORB.

Gal. lib. 5. aphor. 26. in comm.

Hip. ibidem

CAVSAE.

Gal. ibidem

SIGNA.

A etius lib. 9 cap. 39.

paul. lib. 4. caP. 57.

Aeti.ibidem egerens, & in modum tympani uenter eis inflatus, sonũ edit, & oculos quidã sanguine suffusos habent. Ascaridum uerò
Paul.ibidem signa sunt, uehemens pruritus in imo uentre, et quandoq; usq; ad animi deliquiũ, grauitas præcordiorũ, & dorsi, ac assidua
Gal. ibidem ad egerendum irritatio. & excrementa, quæ excernũtur grauè olent, ueluti apparet in iumentis, male cibũ cõcoquentibus, quorum malã concoctionem fætor indicat excrementorum. Signa autẽ omnium lumbricorum cõmunia sunt, oris fætor, deliriũ, lethargus, dolor capitis, palpitatio cordis, uomitus creber, & imbecillis pulsus, qui in infantibus ipsis creberrimus est à natura, distentationes comitiales, oris spuma, tormina, et coli dolores, & interdum alui suppressio.

PROGNOSTIC. Hip.lib.2. prognost. tex.18. Præsagia autẽ, quæ ex lumbricis sumuntur, sunt hæc, lumbricos quoq; teretes eunte in iudicationẽ morbo, descendere idoneum est; magnã autẽ
Paul.lib.4. cap. 57. curã habere cõuenit, circa eorum curationem, præsertim teretum, nã multi nulla lumbricorum cura habita exesi ab ipsis
Paul.ibidem sunt, et conuulsi interierũt; alij dicunt se lumbricos uidisse, qui ex inguinibus ægri eruperint; Et alij etiã prout IOHANNES Baptista Caballaria, uir doctus, et in arte medica clarus honorifico stipẽdio publicè à Cõmuni Meduli in agro Mãtuano cõductus, qui asseruit mihi se lũbricos uidisse, qui ex umbilico eruperint cuiusdã infantis annorum trium, plus minus.
Paul.ibidem cap.58. Paulus uerò inquit, circa febrium initia geniti lumbrici subsistẽtiã ex subiecta habent corruptione, circà cõsistẽdi uigorem ex morbi malignitate, circà declinationem omninò ad melius
Aetius ex Herodoto lib.9 cap.39. proficiunt. Et lumbrici in febribus, et absq; febribus fiunt multitudine, magnitudine, colore, & tẽpore inuicẽ differẽtes; deteriores uerò sunt maiores minoribus, multi paucis, rubri albis, et

uiuen

uiuētes mortuis. Et in incipiētibus acutis morbis, si lumbrici teretes uiui deijciūtur, pestilētes morbos indicāt; inclinātibus autē mortui, malū, interutrunq; tēpus quoquo modo appareāt, malum est; Lumbrici etiā deiecti sanguine conspersi, malum; Et ex ipsis lumbricis frequēs in infantibus anhelitus frigidus, tumescēte adhuc corpore, lethale, sequēti .n. die mortem prænuntiat; sunt etiā quidā, Alsabarauij fortasse authoritate persuasi, qui dicunt, ascaridibus infestos breuioris uitæ fore; hæc de prognosticis. Restat ut de curatione uerba faciā, quæ, ut nobis indicatio ostendit, perficitur hoc pacto: Et primo quod ad uictus rationē attinet, aer ad calidum, & siccum uergens eligatur. Nutrix (si infans lacte nutritur) caueat à somno diurno post cibum, & nocturnus sit secundum solitum, caueat pariter ab ocio, & exerceat se bis in die, per horam, antè cibum, & secundum consuetudinem. Aluus quotidiè excernat, & præcipuè in infante, si non sponte, cum molli balano ex melle, & sale gemma parato, uel clystere cōmuni. Animi affectus omninò uitādi, sunt, cibi sint boni succi, et facilis cōcoctionis; & in omni lubricorum genere abstinentia maxime prodest, qua eorum generatio prohibetur. Sed cum infantem infestāt, tunc exiguo cibo, seu lacte, frequenti tamē, utendum est. Ne lūbrici morsus inferāt, comedat ipsa nutrix panē bene fermentatum (azymus .n. lumbricos generat) et cum modico sale, & seminibus anisorum bene subactum, & satis coctum, carnes uitulinas, ueruecinas, hædinas, & gallinaceas, & auium terrestrium: Inter olera, si nō adest febris, comedere poterit in ferculis, nasturcium, betā, mentā, petroselinum, abrotanū, absinthium, apium, sinapim, cappares, raphanum, acetosam, &

VICTVS RATIO.

Notabile

se

semina brassicæ, et erucæ, et oleosa conueniunt. Et si alui profluuium adsit, ex quo lumbrici magis abundare solent, tunc misceantur in cibo, et ferculis, præcipue ea, quæ descripta sunt capite de alui profluuio. Et caueat à leguminibus, nihilominus lupini conueniunt, & iura cicerum rubeorum; caueat à piscibus, à cibis dulcibus, frigidis, & ualdè humidis, crassis, et uiscosis, & breuiter in uniuersum, omnia calefacientia, exsiccantia, incidentia, acria, amara, salsa, acida, & attenuantia conueniunt. In potu uinum conuenit, sed aquosum. Hactenus de uictus ratione. Ea uerò, quæ ad medicamentorum rationē attinent, qua potero breuitate perstringere conabor; à suffimentis loci, ubi decumbit infans, incipiens. Ignis igitur in cubiculo succēdatur, si fieri poterit, ex lignis iuniperi, aut citri, aut persici, odoramenta fiant ex coma absinthij, rutæ, et folijs persici, & ex myrrha, & aloe, uel ex rosis, santalis, muscho, ambra, caryophillis, thure, & gallia moscata. Deinde ea, quæ in primis lumbricos necant, sunt exhibenda; Etenim dum uiuunt semper occasionem nocendi habent; Inter ea uerò, quæ miram habent uirtutem necandi lumbricos, est aloe; Et quoniam pueri aloen non admittunt, propterea instrumento quo os diuaricatur supinis, fasciola ipsis uiolenter detentis, ore distento per clysteridium quodpiam, fistula nō fragili munitum, inuitis aloen quantum poterit interius transmißam inijciamus; quæ quidem admiranda curandi ratio puerorum molestè aloen ferentium est; sed si fieri poterit, ut cum lacte nutricis exhibeatur aloe; uel cum oximelitè simplici ad pondus diobolorum trium, cum pauco puluere cornu cerui deusti. Vel ipsi infanti præbeatur

Marginal notes: RATIO MEDICAMENT. — Paul. lib. 4. cap. 57. — Paul. ibidem

si febris non adest, aut saltem si est exigua, chamæmelorum, uel mixariorum decoctum, & choclearia duo olei immaturi, amarissimi exhibeantur. Amara enim lumbricos enecant. Et cunctis uerò tàm infantibus, quàm adultis febrientibus, & non febrientibus confidenter exhiberi possunt, etiam si trimestres fuerint infantes. Vermes terreni in puluerem resoluti cum sapa, & si sapam non admittunt, cum hydromelite, aut ut libet, præbeto, nihil ueritus, neq; utilitate contempta septemnumero dato, cataplasma etiam confici poterit ex lupinorum farina in hydromelite decocta, imponendum uentri, cui aliquandò etiam bryoniæ, & filicis, tormentillæ radices adijciantur. Vmblicus autem felle taurino expleatur, aut melanthio cum lacte muliebri trito, aut absynthio, aut abrotano, aut bryonia, pinguibus, ficubus admistis, uel ℞ pulpæ colocynthidis, fellis taurini an. partes æquales misce, et cũ succo absynthij q.s.f. emplastrũ, et umbilico superponatur; poteris etiam dorsi spinam uniuersam ex medulla ceruina inũgere; Et bouis talus ustus, cum lacte potus, lumbricos teretes educit. Ego uerò sæpè fœliciter expertus sum hunc puluerẽ ad pondus unius drachmæ eum indifferenter exhibendo, tã infantibus, quàm adultis, cũ febre, & sine febre, uel cum lacte nutricis, si æger lacte nutritur, uel iure pulli, uel uino albo, si uinum bibit, uel cũ syrupo de acetositate, aut corticib' citri potatũ; qui hoc modo paratur, ℞ musci marini, seminis origani, seminis citri, portulacæ, cornu cerui usti an. dr. i. pulueris, quẽ lũbricorũ uocãt, semencinæ, seu corallinæ an. dr. ij. seminũ mẽtæ, absynthij an. dr. i. misce, et s. a. f. puluis subtilis. Nec nõ inũgere etiã soleo nares, & tẽpora, stomachũ, et umbilicũ infantiũ ex mithri

Aeti. ibidem

Aet. ibidem

Gal. de cõp. theriacæ ad Pisonem.

Gal. ibidem

dato electo; uel ex theriaca, quã ille optimus simpliciũ medicamẽtorum cognitor FRANCISCVS CALCEOLARIVS clarã Veronæ cõposuit, adeò ut ea ad lõginquas regiones pretio traducta, sicuti ego testis sum a' Clariß. Medicis, Liguribus, Pedemõtanis, Bononiẽsibus, Mãtuanis, Brixianis, Tridẽtinis, Venetis, Germanis, et alijs quãplurimis assiduè pro indigentibus ponitur in usum summa cũ laude ipsius Calceolarij. Vel alio mõ, puluis miræ uirtutis ad lũbricos educẽdos, tã teretes, quã ascarides, hoc modo paratur R. reubarbari, agarici, scordij an. dr. i. musci marini dr. ij. corni cerui usti, seminum portulacæ an. dr. i. aloes illotæ dr. ij. s. misce, & s. a. f. puluis, de quo scrup. i. cũ uino, uel cũ iure carniũ, uel cũ syrupo de acetositate, aut de corticibus citri infantibus innoxie exhibetur. Et si infans parum adoleuerit ex ipso puluere scrup. ij. ex succo mẽtæ, aut absynthij, pilulas tres cõficere poteris, et ipsi infanti præbere. Verũ si lũbrici infestãt cum alui fluore infantẽ, etenim cessante fluore, ut plurimũ lũbrici quiescũt; procurãdum est ut aluus post quartum, aut diem sextum ad summũ, astringatur modis, ac legibus institutis in hoc libro, capite proprio de alui fluore. Et si astricta pariter fuerit aluus citãda est modo instituto, capite proprio, et eodem modo, cum uomitu, singultu, et alijs symptomatibus succurrendum erit secundum proprias curationes.

DE INFLAMMATIONE VMBILICI.

CAP. XIIII.

Hip. lib. 3. aphor. 24: DESCRIPT MORB.

CVM cõtingere interdũ soleat paruis, et nuper natis pueris præter alias ægrotationes, etiã umbilici inflammatio, quæ græcè dicitur φλεγμονὴ ὀμφαλοῦ. Propterea mihi uidetur, rationi cõsonum esse curationẽ ipsius affectionis perstringere. Inflãmatio igitur ipsa prouenit ab incisione ipsius umbilici, recẽter

CAVSA. Gal. ibidem in comm.

ter.n. natis infātibus accidūt, nō secus, ac si qua alia pars foret ulcerata, aut à dolore præcisionis, aut ab aere, aut à ligatura perperā facta, excitata. Indicia satis nota sūt, quoniā uisu patēt. Vndè præsagia hæc sumūtur; si recte, & statī curetur hic morbus facilè sanabitur. Verū animaduertēdū est, ne natura, quæ pridē in utero matris urinā huc deferebat isti9 functionis nōdū oblita propter corrosionē ipsius inflāmationis denuò lotiū ibi nō trāsmittat, et difficilē curationē reddat. Propterea ī primis instituatur uictus ratio, uergens ad humidū, et moderatè calidū; nutrix caueat à uino, ab aromatibus, ab allijs, à cæpis, porris, raphanis, acetosis, salsamētis, à leguminibus, à flatuosis, ab oleribus, præter spinachiā, atriplicē, mētā, petroselinū, lactucā, et blitū; et caueat ab ijs, quæ ualdè calefiūt, et à cibis grossis, et difficilis cōcoctionis, exercitationi uacet, bibat iura carniū, uel aquā cum seminibus coriandrorū coctā; Aluus quotidie citāda est in infante, aut spōte, aut balanis ex melle. Posteà statī debemus lenire dolorē cū emplastris, et inunctionib9 hoc pacto paratis ℞. maluarū decoctarū et contusarum m. i. farinæ ordei, lupinorum, fænugræci an. drac. ij. olei rosacei, pinguedinis gallinæ, butyri an. drac. iij. misce, & s. a. f. emplastrum, et calidum applicetur umbilico, maturat. n. & dolorem sedat. Vel ℞ medullæ panis frumentacei tritæ unam, lactis uaccini q. s. misce, et lento igne parū bulliāt. Posteà adde croci scrup. i. olei rosati unc. i. misce et f. emplastrum, calidūq; applicetur. Si uerò inflammatio uenerit ad suppurationem, tūnc cum unguento ex cerusa, et lithargyrio manu chirurgica curetur; uel ex isto linimento ℞ terebenthinæ unc. s. uitelli unius oui, olei rosacei unc. ij. misce, & confice linimentum, ex quo pan-

SIGNA.

PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

MEDICAMENT. RATIO.

niculi linei infusi superponātur, fœliciter. n. & sine dolore curant. Vel ℞. pulueris nardi celticæ unc. s. terebinthinæ unc. iij. olei sesamini, amygdalarū dulciū unc. i. misce, et f. linimentū.

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1 cap. 3.

DE TVMORE SEV EMINENTIA VMBILICI.

CAP. XV.

MORB. DESCRIPT. Auic. lib. 1. F. 3 doc. 1. cap 3. CAVSAE.

ACCIDIT etiā aliquandò in ipsis infantibus tumor ipsius umbilici citrà inflāmationē, qui græcè uocatur ομφαλου οιδημα. causa est, uel multus fletus, uel uociferatio, aut tussis, aut casus, aut materia ibidem aquosa, uel flatuosa decurrens.

SIGNA. PROGNOSTIC.

Signa innotescunt satis. Propterea prædicendum est affectionem ipsam facilè admittere curationē, si recte, et citò curetur, nec cum mora, plus, quàm, conuenit trahitur de necessitate ad cauterium ueniendum sit. Quapropter cùm in quocunq; morbo semper adest, quod fit, et quod factum est; quod fit debemus prohibere, & quod factum est resoluere, et euacuare; unde si causa ex ploratu infantis proueniet, ueluti ut plurimū euenit, tùnc statim ad prohibendum quod fit, & ad somnum conciliandum, recurrendumq; est, ut à nobis descriptum, & institutum est capite proprio, libro secundo huiusce artis, ad quem se referat lector; Et ita si à tussi oriatur pariter recurratur ad proprium capitulum in libro hoc. Ad resoluendum uerò, quod factū est, ut sumitur ex istius morbi indicatione, in sex rebus non naturalibus uictus ratio instituatur; si lacte nutritur infans nutrici, ad calidum, & siccum uergens, & caueat à rebus flatuosis, frigidis, & humidis, tàm in cibo, quàm in potu, & cibis utatur boni succi, & facilis concoctionis, in quibus aliquid misceatur, quod habeat facultatem expellendi flatus,

Gal. lib. 11. met. med. c. 11.

VICTVS RATIO.

cuiusmo

cuiusmodi sunt, semina anisorum, coriādrorum, fœniculi, quo tidie aluus, tàm in ipsa nutrice, quàm infante excernat sponte, sin minus arte, balanis ex melle, & sale gemma confectis, in infante citanda erit, & caueat ne ipse infans ploret, uociferetq́, nec motum faciat, et supinus, sine panniculatione decũbat. Ad locum autem affectum conuenit emplastrum hoc adhibere ℞. pulueris amei drac. ij. albuminis ouorum duorũ, misce, & cum stuppa applicetur, & fascia stricte ligetur. Vel ℞. pulueris myrrhæ, corticum cupressi, & nucũ earum, aloes, acaciæ, masliches, lupini amari usti, amei an. drac. i. albuminis ouorum q. s. misce, & f. emplastrum, & cum stuppa applicetur. Nec non ego sæpè expertus sum fœliciter sequens emplastrum in infante bimo, qui triduò sanatus est. ℞. pulueris thuris, myrrhæ, masliches, collæ, siue glutinis piscium, sarcocollæ, psylij, aluminis, carabe, nucum cupressi an. dr. i. antimonij, croci, aloes non lotæ an. dr. s. albuminis ouorum q. s. misce, & cum stuppa umbilico applicetur, & stricte ligetur. Vel post fomentationem ex decocto corticum mali punici, balaustiorum, acaciæ, myrti sumachi an. partes æquales, emplastrum hoc administra, ℞. picis, aloes, thuris, masliches, terræ armeniæ, sanguinis draconis, lithargyrij, resinæ, ammoniaci galbani, gallæ, uisci quercini, lapidis hæmatitis, seui hircini, pilorum leporis, corticum granatorũ an. drac. i. misce, & omnia contundenda contundantur, & in decoctione præordinata macerentur, posteà adde albuminis ouorum q. s. misce, & f. emplastrum;

MEDICAMENT. RATIO.
Auic. ibidem

DE CALCVLO VESICAE.

CAP. XVI.

Hip. lib. 3. aphor. 26. Gal. ibidem in comm. DESCRIPTIO MORB. Gal. ibidem Paul. ægin. lib. 3. c. 45. CAVSA. Gal. ibidem

IN Infantibus, qui magis adoleuerint, .s. qui habent ætatem mediam inter illos, qui iam dentes ediderunt, et qui sunt pubertati proximi, morbus ille, qui calculosus uocatur à Latinis, et à Græcis λιθιασις, contingit, immò calculus, aut lapis ipse maximè propria passio est talium puerorum in uesica. s. in ea .n. concrescere consueuit, propter edacitatem, ex qua non paucos crudos humores coaceruant, ex quibus pars crassior unà cũ urinis ad uesicam perueniẽs, fit lapidum generationis materia.

Gal. lib. 2 de nat. human. tex. 13. SIGNA. Gal. lib. 1. de loc. affe. c. 1. Auic. lib. 3. F. 18. trac. 2. cap. 16. PROGNOSTIC. Auic. ibidem

Accedit altera causa uehementia caliditatis. Signa lapidis in uesica sunt urina, similis aquæ, in qua subsident sabulosa quædã; laborãtes assiduè pudendum scalpunt, idq; uel laxum, uel intentum præter modum; posteà de repente urina supprimitur, doloresq; in eodem loco permanentes. Quòd uerò ad prædictionem attinet, scire oportet in illo, in quo est sedimen arenosum, nõ facilè aggregari lapidem; materia .n. non est coarctata; sic autẽ habeto, morbum hunc (ut inquit Auicenna) parum accidere infantibus, & mulieribus, propriè lapis in uesica, quoniã uesica earum ad exteriora breuior, ac latior est, et paucorum anfractuum, quæ sentẽtia uera esse potest in mulieribus; quoad generationem, quia ex fluxione menstruorum facilius, quàm in uiris omnia superflũa expurgantur, & calorem non adeò uehementem habent, ut materia in lapidem facilè uerti possit; uera etiã esse potest, quoad expulsionem in infantibus, et mulieribus propter breuitatem meatus, & anfractuum uesicæ.

Hip. lib. 1. aphor. 14. Gal. ibidem in comm.

In pueris uerò, qui habẽt plurimum caloris innati, et multa humiditate abundãt; etsi meatus breuiores habent, tamẽ sunt

angu

angustiores, quàm in adultis. Verum esse potest, ut generatio calculi in uesica, sit maximè propria passio ipsorum; Et si citò non curetur, cùm induratus ualde, et in lapidem redactus erit calculus, & adeò magnus, ut per collum uesicæ exire non possit, necessario deueniendum erit ad incisionem, quoniam uix eo tempore frangitur in uesica. Reliquum est, ut de curatione uerba faciam; Et primo uictus ratio secundum indicationem instituatur ad calidum, et humidum uergens, et nutrix, si infans lacte nutriatur, caueat à somno diurno post cibum, & ab otio, exercitationi incumbat; aluus tàm in ipsa, quàm in infante, uel sponte, uel arte, quotidiè excernat, caueat à crassis, uiscosis, flatuosis, & qui sunt difficilis concoctionis, & mali succi, cibis. Deindè quoad rationem medicamentorum in cibo, ut in ferculis, quotidie comedat ea, quæ habent uim frangendi lapidem, prout saxifragiam, cetrac, lithospermum, polygonum, flores genistæ, cinerem, uel puluerem leporis adusti, bdellium, cardamomum, balsamum, lapidē iudaicum, lapidē spongiæ, lapidem fellis bubuli, & eryngium. Posteà infantes quotidie balneare præstat ex aqua calida ebullita cum chamæmelo, pulegio, origano, calamintho, anetho, fœniculo, parietaria, enula, althea, malua rosmarino, rosis, siccis, saxifragia, seminibus anisorum, fœnugræci, lini, & statim à balneo abstergere, & diligenter pannis calidis exsiccare; posteà pudenda, & pectinem ex oleo liliorum alborum, uel scorpionum calido inungere, & emplastrum infra scriptum pectini calidum apponere ℞. uitella ouorum coctorum num. x. pulueris foliorum enulæ campanæ, parietariæ, petroselini, apij, saxifragiæ,

VICTVS RATIO.

MEDIC. RATIO.

an. drac. ij. pulueris lapidis iudaici, ſcorpionũ uſtorum, ſanguinis hirci, an. drac. i. miſce, & omnia in mortario bene ducantur; poſteà cum oleo nardino, & ſcorpionum an. partes æquales q. s. miſce, & f. emplaſtrum. Infanti etiam aquam deſtillationis ſaxifragiæ, & iringi exhibere pro potu, mirum in modum præſtat; nec non puluerem ſaxifragiæ ad pondus drac. s. in ferculis quotidiè, ſi aliquid, præter lac ſumit, uel cum lacte etiam exhibere nimirum præſtat. Plura deſcripta ſunt alia remedia in cura de retentione urinæ, ad quam habeatur regreſſus. Verùm ſi lapis ſupramodum creuerit, adeò, ut per collum ueſicæ exire non poſſit, tùnc manu chirurgica amouẽdus eſt eo modo, quo docet Paulus Aegineta, qui conſulẽdus eſt.

Paul. ægin. lib. 6. c. 60.

DE VRINAE INCONTINENTIA.

CAP. VII.

Gal lib. 5. de uſu part. cap. 16

Gal. ibidem & lib. 6. de loc. affe. c. 3

DEFINIT. MORB.

Paul. lib. 3. cap. 45.

CAVSA.

CVM Muſculus, qui ueſicæ collum circumambit triplicem habeat uſum, unum, ut nihil in uaſe urinario relinquatur; alterum, ut ori ueſicæ claudendo opituletur; tertium, ut excernendorum excretionem acceleret, reſolutus eſt, morbus fit, qui à Latinis urinæ incontinentia, ſeu præter uoluntatẽ excretio dicitur, et laborãtes morbo ipſo Græci ενουρουντας uocant; morbus uerò dicitur ακουσιος των ουρων, ſcilicet inuoluntaria urinæ excretio. Cauſa in infantibus, ut plurimum, eſt frigidorum, uiſcidorum, ac craſſorum humorum abundantia, aut ab aere ambiente, aut à lactis mala qualitate, aut à mala intemperie ipſius infantis, aut à nimio potu, & cibo, ſi quid præter lac ſumit, aut à caſu, aut à uulnere, aut à uerte-

brarum luxatione, excitata. Signa satis innotescunt. Prædicere autem licet, si ex aliqua externa causa, musculo infrigidato, generatur morbus, celerius curatur, quam si citra manifestam causam proueniat. Qui enim urinam sine uoluntate emittunt, ob ceruicis uesicæ uulnus, aut casum, aut uertebræ luxationem superuenientibus, quæ mortem fatentur notis, nulla medicina periculo liberat; Et quantò plus eis contigit (urinæ scilicet inuoluntaria emissio) eo minus periculo sunt obnoxij. Propterea de ea incontinentia urinæ, quæ à mala intemperie frigida, & à mala uictus ratione in infantibus excitata prouenit, scribere decreuimus. Igitur si lac in causa est, alia nutrix, dùm prima curatur, lactet infantem, & uictus ratio uergat ad calidum, & siccum, infans quotidie prouocet uel spontè, uel arte uentris deiectionem; caueat à somno diurno post cibum, nutrix exercitationi incumbat bis in die, ante cibum, perturbationes animi uitet, & infans aliquãdò excitetur ad iram, quæ interdum in hac ægritudine cõfert; cibi sint facilis concoctionis, & boni succi, cuiusmodi sunt carnes columborum, gallinarum, perdicum, turdorum, alaudarũ, & similium, & præcipuè si assæ fuerint, et si quid comedit, fercula comedat, parata, uel cum pipere, aut amomo, cinnamomo, aut zingibere, et similibus. In iure etiã concoqui poterit parum hyssopi, sampsuchi, saluiæ, satureiæ, fœniculi, et similiũ. Verùm indicatio medicamentorũ perficitur, si æger suprà pectinem foueatur, bis in die, per horam, ante cibum, ex æneleo calido. Et si gallinæ guttur combustum, ieiuno stomacho, cum iure pulli, aut lacte præbeatur; Et pariter si drac. i. quotidie exhibeatur pulueris florum leucanthemi, uel leporis testiculi

SIGNA. Gal. lib. 4. de loc. affe. c. 4.
PROGNOSTIC. Paul. lib. 3. cap. 18.
VICTVS RATIO.
Paul. ibidem
Paul. lib. 3. cap. 45.
MEDICAMENT. RATIO.

culi tosti, uel uesicæ porcinæ, aut ouinæ, aut pulueris calaminthæ, & myrrhæ, antè cœnam, aut cum iure carnium, aut lacte, etsi non amplius lactet, cum uino odorato. Conueniunt etiam cataplasmata, & malagmata per rubefacientia, ex sinapi apparata. Nec non iniectio arenæ à sole feruefactæ, similiter confert; Et balneis etiam, tàm arte cum rebus anodynis paratis, quàm naturalibus, & maximè sulphurulentis, & bituminosis, primum calidis, posteà etiam frigidis, curare conuenit; Et partium ipsarum fricationes. & exercitationes mirum præstant auxilium.

Aeti. lib. 11. cap. 45.

DE RETENTIONE VRINAE.

CAP. XVIII.

Gal. lib. 6. de locis aff. c. 3. DEFINIT. MORB. CAVSAE.

SI INFANTI contingit affectio illa, quæ à Græcis ισχουρια, & à Latinis urinæ retentio dicitur, nihil aliud est, quàm exacta prorsus urinæ supreßio, mortis periculũ afferens. Causæ huius morbi multæ sunt, sed in infante, ut plurimum, sunt tres. Vna, debilitas ex pultricis, ab intemperie frigida, adeò, ut cũ circà id, quod cõtinetur cõtrahi nõ potest ipsum exprimere nequeat. Secunda obstructio in inferiori meatu, à craßis humoribus facta. Et tertia à lapide in ipso meatu impacto. Etsi retentio ipsius urinæ satis manifesta sit, cũ fletu, & infantis uigilijs; nihilominus illud attendendũ ẽ, si à debilitate excretoriæ facultatis prouenerit, cũ cõpreßione uehementi suprà pubem, et infrà umbilicũ urinã excerni. Et si minus per compreßionem urina excernatur, tunc erit signũ obstructionis à materia crassa; & præcipuè si nutrix, aut infans in præcedenti uictu multis cibis craßis, ac uiscidis usus fuit. Et si erit à lapide, signum est si intromissa parua fistula

SIGNA.

stula ænea lapidem remouendo, urina euacuetur. Prædicendum uerò est, cùm lotium non eijciunt, quòd subiecta membra debiliora fiunt, & paulò post moriuntur. Propterea succurrendum est statim; Et cum primum causam morbi cognoueris, facilis erit cura; nã suppreßionis urinæ causas amouere, est curationis indicatio. Si igitur ab humoribus craßis fiat, & infans lacte nutriatur, tunc alia nutrix lactet infantem, uel si cum ratione ætatis tutè fieri poterit, a lacte amoueatur paulatim, sin minus, uictus ratio in omnibus sex rebus nõ naturalibus instituatur uergens ad calidum, & siccum, tẽperato modo, & caueat à cibis craßis, humidis, frigidis, duris, acribus, acetosis, a caseosis, a piscibus, a leguminibus, a pulmentis, et a similibus. Caueat a somno diurno post cibũ, exercitio incũbat, aluus deijciat quotidiè uel sponte, uel arte. Deinde oleo anethino calido, aut chamæmelino, aut liliorum alborum, aut scorpionum inungendo pubem, & pectinem illi succurritur. Fomentationes etiam ex rebus anodynis, cum parietaria, & uino albo ebullitis competunt, & emplastra ex rebus prædictis, et farinis ordei, fœnugræci, seminum lini, & oleis prædictis. s. a. parata præstant. Balnea etiam ex decoctione rerum, & herbarum anodynarũ mirum in modũ iuuant; immò aliquando solo balneo liberantur, etsi cum prædictis urina nõ excernatur, oleũ chamæmelinũ, aut anethinũ, aut scorpionũ, quod dissoluit per syringã mittendũ ẽ in uesicã. Et similiter si a debilitate expulsricis ob intẽperiem frigidã proueniat inunctiones, fomentationes, emplastra, et balnea suprà instituta cõueniunt, Hoc unũ tamen animaduertendũ est, in oĩ genere retentionis urinæ, in uictus rõne uitare oportere urinam cientia,

PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

MEDICA. RATIO.

ne maior, uel obstructio, uel extensio, circa uesicam, fiat, ob urinæ multitudinem. Nihilominus postquã uasa urinaria aperta, et dissoluta fuerint, laudatur puluis maxillarum luporum, piscium salitorum, & cum uino aromatico ad pondus dr. s. per tres dies continuos, ieiuno stomacho, exhibitus. Parum etiam uini decocti, cum radice filipendulæ, confert; Prouocat etiã à proprietate (ut dicitur) urina, si uirga infantis immittatur in os cucurbitæ antiquæ, in qua retentũ fuit oleum, prius in aqua calida calefacta, dũmodo in ipsa non ingrediatur aqua. Dicũt etiã si mittatur lapatũ acutum in ignẽ, adeò, ut ardeat, si fuerit puella, ante eam uelit, uel nolit statim minget. Verùm si lapis urinam supprimat à loco excutiendus est, uel parua fistula ænea, uesicæ intromissa, uel infante cubante supino, et crura eleuata sursum parum agitentur, et cõcutiantur, mox ad frangẽdum lapidem ipsum confert, Si bolus unus cardamoni, cum aqua decoctionis corticum, uel radicum lauri sumatur. Et secundum recentiores, pro secreto, exhibent pulurem istum, ℞. sanguinem unius leporis, & cum unc. vij. radicum saxifragiæ uratur in olla rudi, et fictili, et de cinere hoc, detur cochleare medium; uel scrup. i. cum uino albo, si infans uinum bibit, sin minus cum lacte, aut iure pulli, stomacho ieiuno, quotidiè: uel si sanguis hircinus s. a. præparatus eodẽ modo exhibeatur, frangit lapidem in uesica. Nec non auis, quæ dicitur cauda-tremula, siue motacilla, ut supra in olla fictili combusta, et in puluerẽ redacta auxiliũ præbet, si modo, ut supra exhibeatur. Adhibere etiam emplastrum hoc pectini, frangit lapidem, ℞. amygdalarum amararũ, et dulc. an. unc. iij, terantur, posteà cum resina pini, & terebinthina, et oleo scorpionum q. s. secun

Dioscorides lib. 1. cap. 5.

dum

dum artem f.emplastrum; conferunt etiam simplicia multa, prout, lapis iudaicus, lapis spongiæ maris, lapis serpentis, lapis uesicæ, semen syon, saxifragia, radix graminis, radix rusci, genistæ flores, senecion, amygdala, & cubebæ, si cum ratione ætatis, & temporis s. a. exhibeātur. composita uerò oleum de cerasis, de granis iuniperi, & multa alia, quæ in infantibus timenda sunt prout antidotum hemagogum, electuarium dulce, lithontripton, iustinū, mithridatum, & theriaca, sed si premissa non suffecerint ad frangendū ipsum lapidem, ad sectionē transeundū erit eo modo, quo à Paulo ægineta præcipitur.

Paul. ægin. lib. 6. c. 60.

DE HERNIA SEV TVMORE INGVINIS.

CAP. XVIIII.

AFFECTIO ea, quæ à Latinis dicitur hernia, seu ramex, à Græcis κήλας uocatur, quo nomine omnes fere testiū comprehenduntur tumores, qui numero sunt octo, ut patet ex Galeno; at nos omissis omnibus alijs tumoribus, tanquam nō necessarijs in infantibus de hernia inguinali tantū uerba faciemus, quæ nihil aliud est, quā tumor præter naturam in inguine ex distēsione, aut rupturæ peritonei ortus; Et ut plurimum, generatur à frequentia fletus, eiulatusq;, aut ab immoderata repletione, et forti in egerēdo expressione, cū aluus astricta est, & interdum à redundātia flatuum. Signa innotescūt, unde hæc præsagia sumuntur. Intestinorum hernia qualiscunq; fuerit, semper aquosa deterior. Pro curatione uerò, in sex rebus nō naturalibus uictus ratio instituenda est, ad calidū, et siccū uergens: Aluus quotidie deijciat, uel spōte, uel arte in infante; caueat à nimia repletione cibi, à fletu, à rebus flatuosis, à uoci-

Gal. lib. de tum. præter nat. 17. 18.

DEFINIT. MORB.

Gal. ibidem

CAVSAE.

SIGNA.

Aetius lib. 14. c. 24.

PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO.

feratione, a motu; Nutrix etiam lactante infante, caueat a præmißis, a rebus frigidis in cibo, a leguminibus, ab aquosis, a flatum parientibus, craßsis, & crudis, & difficilium concoctionum. Ratio verò medicamentorum, quoniam Indicatio istius morbi, cum illa, quæ de tumore umbilici inscribitur, conuenit; propterea eo modo perficitur, quo statuta est in ipso capite, quod legendũ est, et ex præscripto ordine ipsius procedẽdum.

MEDIC. RATIO.

DE PROCIDENTIA ANI.
CAP. XX.

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1 cap. 3.
DESCRIPTIO MORB.
CAVSAE.

ALIQVANDO Accidit infanti, ut ei eueniat egreßio recti intestini, siue procidentia ani, quam Græci appellant προπτωσιν αρχου ηπροπτωτον τον αρχον *Quamombrẽ de ipsa agere, non erit absurdum, quæ generatur, ut plurimum, a nimia uentris lubricitate, et humiditate, aut a resolutione musculorum, qui ipsum anum sursum attollunt, uel ab aliqua inflammatione ipsius ani, musculos ipsos cogente, uiolenter distendi. Signa, si ex inflammatione anus procidat, sunt dolor, tumor, & tensio ipsius ani qui cum rubore, & mucositate apparebit. Si uerò erit, sine inflammatione facilis erit cognitio; apparebit enim sine dolore, tumore, & mucositate. Et si euenerit ob lubricitatem alui præteritã, aut humiditatem, ex quibus orta fuerit imbecillitas, & resolutio neruorum, adeò ut ipsum foras prolapsum, sursum retrahere nequeant, facile signa apparebunt per relationem astantium. Et prædicere conuenit; si citrà inflammationem est affectio facilius curationem admittere. Victus ratio, ut sumitur ex ipsa indicatione, in sex rebus non naturalibus, ad calidum, & siccum uergens instituatur. Infans caueat ab omni motu inferiorum partium; & si*

Cor. Celsus lib. 6: ca: 18:
SIGNA.
Celsus ibid.
Aet. lib. 14. cap. 8.
PROGNOSTICA.
VICTVS RATIO.

sine

sine inflammatione est, tunc paretur balneum aquæ calidæ, in quo sedeat ipse infans per modicum spatium temporis, ieiuno stomacho; & balneum ipsum prius ebullitum sit cum verbena, malicorio, folijs myrti, rhu, rosis, gallis, balaustijs, acacia, et hypocistide; posteà statim, post ipsum balneũ, digitis molliter, et legitimè intromittatur anus. Deinde liniatur pice liquefacta, & super asperso puluere aloes intrudatur. Vel alio mō, puluere isto aspergatur, cũ animaduersione, quòd astringẽtia, ueluti pulueres, & olea nō sunt administranda, nisi ano prius intromisso. ℞. aloes, thuris, gallarum, myrrhæ, mastiches, antimonij, sumachij, balaustiorum, an. drac. ij. & in puluerẽ reducantur, et misce, et utitor; Vel ℞. olei de myrto, de mastiche, de cydon. an. dr. s. misce, et inunge. Et si denuò foras anus, ex multa humiditate procidere tentabit, tunc decoctio balnei fiat in vino astringenti nigro, & decoctioni adde bdellium, pini corticem, pilulas cupressi, ungulã caprinã, alumẽ scissile. Vel ℞ gallæ omphacinæ, malicorij sicci, rhoscoriarij an. dr. ij. plũbi usti. dr. iiij. spumæ argenti dr. vij. & in puluerẽ tritũ insper- gito. At in infantibus astringentiũ usum remittere oportet, et mitiora adhibere, ueluti ego expertus sũ cũ balneo loci affecti tãtum ex uino nigro astringenti parũ, prius ebullito cum rosis siccis, & menta; & chamæmelo, & sola inunctione post ani intromissionem, cum oleo mastichino, & de cydonijs; confert etiam urina ipsius infantis calida, statim post mictionem superfusa. Et ne anus ubi repositus introfuerit, denuò foras excidat, probè deligandus est cruribus inter se deuinctis. Si uerò anus ex inflãmatione excidat, quòd raro in infantibus contingit; nihilominus, tunc uictus ratio, in omnibus instituatur uergens ad humidum, & frigidum temperate in principio,

MEDICAMENT. RATIO.

Gal. lib. 9. de comp. med. sec. loc. c. 6. auctoritate Asclepiadis. Aetius ibid.

Paul. lib. 3. cap. 6.

postea in statu ad calidum. Et caueat infans à motu, et exer citatione inferiorum; deindè in principio inungendus est anus oleo rosaceo calido, et posteà chamæmelino, et anethino, et sedere conuenit in balneo calido aquæ dulcis, in quo ebullitæ sint prius maluæ, altheæ, et rosæ, et flores chamæmeli, et statim inũgere oleis prædictis. Nec non R. uitellum unius oui cocti, & contundantur cum tragacantha, posteà cum oleo rosaceo, syrupo rosarum an. q.s. misce, & f. linimentum s.a. fomentationes etiã cum spongia factæ, quotidiè ante cibum, ex decoctione prædicta calida præstant, & inungere statim ut supra. Posteà cum aliquantulum inflammatio remissa fuerit, anus intromittendus erit, et eundẽ inungere, & aspergere ex præmissis oleis, et pulueribus astringentibus, et eundẽ ligare præstat, postquã intus repositus fuerit, ut supra ne iterum exeat.

DE INTERTRIGINE COXARUM.

CAP. XXI.

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1 cap. 3.

DEFINIT. MORB. CAVSAE.

INTERTRIGO coxarum infantis, nihil aliud est, quàm excoriatio, seu cutis attritio, quæ Græcè uocatur παράτριμμα et causatur hæc affectio, ut plurimũ ex urinæ acrimonia, aut detersione excrementorum, et ut breuiter dicam, ex immunditia inuolucrum, propter nutricis incuriam suborta. Signa satis innotescunt.

SIGNA.

PROGNOSTICA.

Prædicendum est ex ipsa excoriatione, seu attritione facilè suboriri inflãmationem, seu exulcerationem, et dolores, & uigilias.

VICTVS RATIO.

Igitur statim ad curationem properãdum est, quæ facilè perficitur, si nutrici uictus ratio instituatur, ad frigidum, & siccum uergens, & si abstineat ab ijs, quæ in cibo calefaciunt, ueluti ab acribus, ab allijs, porris, cæpis, & rapha-

nis, ab aromatibus, & salsamentis, ab amaris, & similibus; Et quotidie, si tam in nutrice, quàm in infante, uel sponte, uel arte, aluus deiecerit; et si ipse infans, quotidie, reietis fricationibus, balneetur, si tempus balneandi erit, & si aqua balnei, ante ipsum balneum, parum prius bulliat cum uiolis, althea, rosis, maluis, ordeo, & furfuribus, & si statim post balneum abluantur partes affectæ, cũ uino calido, & postea isto puluere inspergantur. R. spumæ argenti per se, uel cum myrto, sicca, trita. q. s. uel alumen in testa ustum, & tritum inspergatur, aut fici folia usta, ac trita cum oleo illinantur. Et caueat ne cum inunctione salita infans inungatur. Nec non si rosarum capita, & flores terantur, & inspergantur, conferunt; uel alio modo R. plumbaginis drac. iij. gallarum drac. i. s. aluminis, myrrhæ, an. dr. s. misce, & omnia conterantur, & cum hoc inspergantur; conferunt etiam myrtus contrita, aut radix ireos, aut rosæ, aut cyperum, aut ordei farina, aut lentium.

MEDICA. RATIO.

Aet. lib. 14. cap. 12.

Aet. ibidem.

Auic. ibidẽ.

DE PAPVLIS SEV VARIOLIS.

CAP. XXII.

ERVPTIONES Similes his, quæ a feruida aqua ambustis emergunt, & sponte per uniuersam infantis cutem florescunt, a Græcis ἐξανθήματα, & a Latinis papulæ, & pustulæ uocantur. Et duplices ipsæ papulæ uidentur, quædam enim sublimes, quædam uerò latæ. Sublimes a uulgo medicorum morbilli uocantur. Et latæ, & humiles uariolæ; generantur ex crassis, & cuti impactis humoribus, & ubi densior pelliculæ superficies extiterit, propullulant morbilli,

DEFINIT. MORB.

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. cap. 3. Paul. lib. 4. cap. 8.

CAVSAE. Gal. lib. 6: aphor. 9: in comm.

seù sublimiores pustulæ a calidiore, & tenuiore humore fiunt; latæ uerò seù uariolæ, a frigidiore, & craßiore. Neoterici, ut plurimum in infantibus causam esse dicunt, sanguinis ebullitionem, superuenientem per modum putrefactionis, uel nutrimenti menstrualis reliquias, uel propter conceptum fœtus tempore mensium fluxionis. Attamen omnes papulæ nascuntur, natura corporis profundum expurgante. Quamobrem paucißimi uidentur, qui ad legitimam ætatem perueniant, & hunc morbum effugiant. Signa sunt febris, dolor uehemens capitis, & dorsi, difficultas spiritus, pruritus narium, & aurium, punctiones totius corporis, pādiculationes, & oscitationes crebræ, & initio morbi, facies maculas quasdam ostendit, quæ, uel in morbillos tolluntur, uel in uariolas extenduntur. Sublimiores, in tumorem manifestum cutē attollunt, exulcerant, & pruritum excitant. Latæ exiguum tumorem efficiunt, neque tamen exulcerant, neque etiā pruritum excitant; Quare, ob duplicem causam, latæ pustulæ nō pruriunt; Vna, quia difflantur in latitudinem, circū extentæ; Altera, quia humor faciens ipsas minorem acrimoniam habet; Et si a sanguine proficiscantur, per colorem rubrum, si a bile, per spiceum; a pituita per albedinem; a bile atra per liuorem, cum nigredine apparebunt. Et pustularū ipsarum magna ex parte infantibus, & iuuenibus, rarißimè, & cum difficultate senibus, fit eruptio, & progreßio ijs, quorum cutis crassa, & densa existit. Difficilior autem semper latarum est exitus, quia ex craßioribus humoribus oriuntur, propterea quòd magno labore cutem penetrare possunt. Quamobrem si accidit cutis densitas, sæpè intus pustulis detentis, moriūtur; at in eruptione

SIGNA.

Hip. lib. 6. aphor. 9. Gal. ibidem in comm.

PROGNOSTICA.

ptione ſublimium puſtularum, propter caliditatem, & tenuitatem humoris ipſas facientis, qui eruptionem faciliorem reddit, pauci pereunt. Et quæ ex eis puſtulis ſunt ulceroſæ, uel ſpiſſæ, ſublimes, rubræ, & paruæ, cum febre, uel nigræ, mortales ſunt. Veluti eæ, quæ anno 1574. per uniuerſam ferè Italiam, in infantibus graſſatæ fuerunt, adeò, ut ferè omnes ab earum nequitia affecti, medicina nihil proficiente, interierint. Quæ autem ſunt albæ, rubræ, raræ, lateq; ſaniores ſunt; Et ſecundum ſententiam Neotericorum, qui ſemel a morbilis, ſeu uariolis corripitur, non amplius ab ipſis afficitur. In curatione autẽ cum omnes puſtulæ procreentur, natura corporis profundum expurgante, ut ſupra dictum eſt: propterea cauere oportet ſumma cum diligẽtia, ne naturæ motus impediatur: Ex indicatione igitur iſtius morbi; aer eligatur calidus, & frigidum deuitare oportet, cutem enim denſat, & ſic puſtularum eruptiones prohibet, & infans in lectulo, aut ulnis, ſtragulis calidis ab iniuria frigiditatis aeris, cooperiatur, & probè muniatur, non tamen adeò calidis, ut ſyncope correptus ſuffocetur. Nutrix legitima fruatur diæta: caueat a fructibus oĩbus recentibus; et præcipue fugacibus, quia facile putreſcunt: ab aromatibus, a ſalitis, ab acribus, ab allijs, porris, cæpis, raphanis, ab oleribus, et ab oĩbus facilè calefaciẽtibus, et putreſcentibus, et duræ digeſtionis, et mali ſucci, et a uino: Ex his.n. ſanguis augetur, et humores exacuuntur, et utiliſſimũ erit nutricẽ dulcioribus ferculis paſci, et infantẽ, neq; pleniore, neq; nimis tenui cibo ali. caueat ab animi perturbatione, et a ſomno diurno poſt cibũ, et quotidie ſe exerceat, ſecundum conſuetudinem, & aluus tàm in nutrice, quàm in infante, uel ſponte, uel

Auic. lib. 1. F. 3. doc. 1. cap. 3.

VICTVS RATIO.

Paul. lib. 1 cap. 6.

Hip. lib. 1. aphor. 20.

arte deijciat. Verùm si natura ipsas probè excreuerit pustulas, nullo medicamento, aut alio negotio indigemus. Quae enim iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportet. Si uerò satis non defloruerint, solemus infantes inuolucris rubris inuoluere, ut ad crebrum illius aspectum intuentes, ad exteriora, atque adeò summam cutem ferantur humores, & decoctum ficuum, uel lentium loco potus praebeatur. Vel si fieri poterit, infanti ad adiuuandam pustullarum excretionem haec praebeatur decoctio. R. radicũ apij, alaminthae, foeniculi petroselini an. M. s. seminum anisorum, asparagorum, rusci an. dr. ij. caricarum ficuum an. numero vi. coquantur omnia in s. q. aquae, usque ad consumptionem mediae partis, posteà coletur, & cum sacchąro q. s. et adiectione syrupi acetosi simplicis unc. iiij. misce, & s. a. f. potio, de qua detur quotidie infanti mane, & uesperi. unc. iij. aut plus, aut minus, secundum aetatis rationem. Verùm si infans, sumere decoctum ipsum non poterit, nutrici exhibeatur ad pondus unc. vi. Et ubi bene pustulae defloruerunt, si minus periculosae sunt, dimittantur, donec maturentur, deinde curentur. Si uerò ulceratae fuerint, fiat eis unguentum ex cerusa; & accidit etiã ut necesse sit lauare eas aqua mellis, & pauco nitro, & similiter alchola; cum autem spissae fuerint, indigebunt eo, quod sit uehementius lauabuntur tunc ex aqua nitri, cum lacte mista, ideò, ut tollerari possit; quod si cutis eorum uesicabitur, uaporetur, & lauetur aqua, in qua coctae fuerint myrtus, & rosae, & squinanthum; Et folia arboris masliches, & tamarisci. Et quia oculis aliquando ex

MEDICAMENT. RATIO.

Auic. ibidẽ.

istο

isto morbo euenit affectio illa, quæ uocatur a latinis albedo, et a Græcis λευκωμα. Propterea ne infans ab ipsa macula corripiatur a loco pellucido, siue luminoso, atque rerum intuitu rubrarum remouendus est, oculiq; eius cum collyrio aquæ rosaceæ, in qua nonnihil sumachij insit, abluendi, & conseruandi sunt. Et si guttur etiam, aut ulceribus, aut erosione afficiatur, ut euenire quandoq; solet in isto morbo succurrendũ est cum succo mororum, uel diamorum, aut uino granatorũ, adhibita aqua ordei, gargarizando. At si in facie infantis, propter ipsius assiduam fricationem, signa uariolarum permanere post morbi resolutionem uidebuntur, tunc ℞. pinguedinis humanæ, pinguedinis ursi, medullæ ceruinæ, medullæ bubulæ, balsami ueri, pulueris camphoræ an. partes æquales, musci parum misce, & signa inunge. Vel ℞. pulueris seminis erucæ, pulueris chrysocollæ, alcyonij primi, & secundi, farinæ fabarum, pulueris sulphuris, lithargirij argentei, cornu cerui usti, pulueris ireos, pul. tartari albi, pulueris thuris an. dr. s. radicis brioniæ oleo decoctæ, & subtilissime contusæ, olei amygdalarum dulcium, olei è luteis ouorum, olei de myrrha an. unc. s. unguenti rosati unc. i. misce, & in mortario plumbeo s. a. fiat linimentum, & utitor.

DE SCABIAE.
CAP. XXIII.

QVONIAM uerò sæpè ob contagionem facilè penetrantem in corpora nostra, infantes a scabie uexari, & tentari uidemus; propterea de hac ipsa affectione in hoc libro silendum nobis non est. Porrò ea nihil aliud est, quàm durior cutis rubicunda, ex qua pustulæ cum pruritu oriuntur, DEFINIT. MORB. Cel. lib. 5. cap. 28. Paul. lib. 4 cap. 2.

quædam humidiores, quædam ſicciores, uel eſt, quæ ſummã corporis cutẽ uaria eroſione figurat, furfureaq; ex ſe corpuſcula edit, cũ pruritu, & corporis colliquatione, & à Græcis ψῶρα

CAVSA.

uocatur. Cauſa in infante interdum excitatur ob cõtagium, uel ſi lac ſugit propter cibos à nutrico ingeſtos ſalſos, & nimis calidos, & aromata acuta, amaraq;. Duplex autem ab ipſa ſcabie ſumitur indicatio; cũ una humidior ſit; altera ſiccior; quæ enim humidior eſt, generatur a ſanguine, cui admiſcetur phlegma ſalſum. Altera, quæ ſiccior eſt, exiſtit a ſanguine bile

SIGNA.

flaua permiſto; Signa uerò ſunt pruritus, cutis rubicunda, & puſtulæ quædam latæ, quædam eminentes, a quibus ſanies interdum glutinoſa, interdum tenuis fluit; cæterum ex ijs, quæ eminentiores ſunt, quoniam a calidiore humore generantur, pruritum efficiunt, quòd latæ non item; diſflãtur enim, & in latitudinem extentæ, & facientem ipſas humorem

Hip. lib. 6. aphor. 9. Gal. ibidem in comm.

PROGNOSTIC. Auic. ibidẽ.

minus acrem habent. Et ſcabies excorticata multiplicatur in autumno. Pruritus materia aggregatur inter duas cutes. Et ſcabies quidem fœda attrahit exituras, & permutatur ad impetigines, alſahafati, & inducit corporis colliquationem.

VICTVS RATIO.

Scabies uerò ſi humida eſt, uictus ratio in omnibus ſex rebus non naturalibus (ut indicationis rationem obſeruare uideamur) ad frigidum, & ſiccum uergat; ſi ſicca parum declinet ad humidum. Et nutrix, ſi infans lac ſugit, exercitationi incumbat; euitet diurnum ſomnum, poſt cibum; aluus quotidie deijciat, uel ſponte, uel arte, clyſterijs communibus, uel balanis ex melle, perturbationes animi fugiat; Et inter olera comedere poterit endiuiam, lactucam, ſpinachiam, cichoream, lupulos, & melones, &

cucur

cucurbitas, & similia. Euitet in cibo ea, quæ habent facultatem calefaciendi, prout sunt aromata, salsa, oleaginosa, acuta, & acria, ut allia, porri, cæpe, & raphani; abstineat à uino generoso, uescatur cibis boni succi, & facilis concoctionis. Quod uerò ad ipsam curationem attinet, duplici ea modo perficitur; uno cum purgatione corporis; altero loci affecti inunctione. Purgatio statuenda est, hoc pacto. Nutrix si lactat infantem, quotidiè sumat decoctionis infrascriptæ. unc. vi. diluculo, per dies septem continuos, quæ hoc modo perficitur, R. fumiterræ, endiuiæ, cichoreæ, boraginis, lupulorum, epithymi an. M. i. bulliant omnia in s. q. a. vsque ad tertias posteà coletur decoctio; cui adde sacchari optimi. q. s. & denuò lento igne bulliat vna leui ebullitione; deinde in uase coperto seruetur. Infanti uerò, si ablactatus est, vel si aliquid sumit, exhibere possumus hanc potionem per dies quinque continuos, loco syrupi, diluculo; R. aquæ lactis. unc. iij. succi fumiterræ. unc. i. misce pro syrupo. Verùm postquam assumpserit nutrix decoctiones supradictas, sumat, per horas duas, ante cibum, manè, bolum istum. R. electuarij lenitiui de dactylis, diacatholicon an. unc. s. misce, & cum sacchari. f. b. uel sumat similiter antè cibum per horas quatuor pilulas has. R. pilularum de fumoterræ, de agarico Mesuæ an. dr. s. cociarum scrup. i. misce, & cũ melle rosato reformentur p. v. & aurentur. Infanti uerò si bimus est, post syrupos detur agarici præparati drac. i. uel cum sacchari rosato, uel cũ ferculo, quam Itali panatelã uocant, aut reubarbari electi, et mundi, contriti scrup. i. cum sacchari rosato. Deinde MEDICA. RATIO.

sic

sic facta purgatione, ad inunctionem deueniendum est, quæ pluribus modis perficitur, at in infante propter uirium eius imbecillitatem, mitibus, lenibusq; inunctionibus utendũ est. Quotidie igitur per tres, aut quinque dies continuos, serò antequam dormitum uadat in loco calido apud ignem nutrix; si scabies humida est, corpus suum in loco affecto unguento hoc inungat ℞. succi lapatij acuti. unc. iij. olei de nucibus. unc. i. picis. unc. s. misce, posteà parum bulliant lento igne, mox coletur, & colaturæ addantur sulphuris contriti subtiliter, pulueris tartari an. drac. i. misce, & fiat unguẽtum. Vel ad siccam scabiem hoc unguento illinito. ℞. cerussæ, amyli an. unc. s. anchusæ M. i. cæræ, olei rosacei an. unc. ij. anchusam unà cum rosaceo elixato; deinde reliqua inijcito. Vel solo oleo sulphuris puluere misto, calefacto inungito. Infantẽ uerò post lauacrum, ad ignem, si scabies humida est unguento hoc illinito; ℞. olei rosacei, laurini an. unc. ij. pulueris salis, nitri, sulphuris. an. drac. iij. styracis drac. ij. misce & inungito. Et si scabies sicca est, hoc unguento inungito. ℞. terebinthinæ lotæ unc. i. s. butyri unc. s. succi limonum, succi lapatij, & utitor. Vel ℞. aquæ rosaceæ, aquæ ex floribus malorum medicorum an. unc. ij. terebinthinæ, nitri, lithargyrij, an. dr. iiij. misce, & utitor. Vel uitis ueteris corticem in uase fictili frigito, eòq; locum scabiosum fricato butyroq; illinito. Pruritus uerò a scabie excitatos, aqua marina calida, aut aceto calido perlue. Demum post inunctionem nutricis, & infantis corpora uniuersa abluere aqua calida oportet, & ea induere ad euitandam contagionem uestimentis mundis, nouisq;.

Pau. ibidem

Orib: lib. 7: cap. 8.

DE

DE FEBRE.

CAP. XXIIII.

FEBRIS Etiam, quæ græcè dicitur πυρετος aliquando infantibus accidit. In progressu enim cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, et febres superueniunt, & hoc per consensum ex dolore, et cruciatu pruriginis gingiuarum inflãmationem excitãtibus. Signa, ex uigilijs per tactũ caloris extranei, & frequentiæ pulsus, satis innotescunt. Et curatio facilis est, nã probè uictus ratio instituta tantum, post ortũ dentium, cessante inflãmatione, febris cessabit. Igitur nutrici, (si infans lacte nutritur) uictus ratio in oĩbus instituatur ad humidũ, & frigidum uergens, comedat in ferculis, lactucã, blitũ, endiuiã, acetosam, spinachiã, atriplicẽ, ordeũ, et similia, quæ simul refrigerãt, et humectãt, lacq; augẽt, ueluti ẽt amygdalarũ dulciũ lac, & ptisana, et syrupus de endiuia, de acetosa, uiolarũ, acetosus simplex, et similes, tàm nutrici, quã infanti cõueniunt; pro nutrice hoc mõ, ℞. syrupi acetosi simpl. unc. i. de endi. unc. s. aquarũ endiuiæ, acet. an. unc. i. s misce pro syrupo. Pro infanti uerò, si ablactatus ẽ; ℞. syrupi acet. simpl. de endiuia an. unc. s. aquarũ endiuiæ acet. an. unc. i. misce pro syrupo, et magis, et minus secũdũ ætatis rõnem, morbi, tẽporis, et loci exigentiã. Et febre perseuerãte, post ortũ dentiũ; & post assumptionẽ syruporũ quinq;, digesta materia, eã educere poteris, adhibito uno scrupulo reubarbari electi, cõtriti, uel cũ saccharo rosato sumpto, uel in infusione cũ suis correctiuis, s. a. cũ decoct. florũ, & fructuũ cordialiũ disoluto, et in diluculo per horas quinq; antè cibũ assũpto. Quies ẽt ĩ infante statuẽda ẽ, et aluus, ut sæpe dictũ ẽ, uel sponte, uel arte quotidie deijciat.

Hip. lib. 3. aphor. 25.
CAVSA.
SIGNA.
PROGNOSTICA.

VICTVS RATIO.

MEDICA. RATIO.

Et si uigiliæ superuenerint, aut stomachi dolor uomitus, & alia symptomata succurrendum est ipsi infanti, prout a nobis in suis proprijs capitibus, declaratum est.

DE AMBVSTIS.
CAP. XXV.

DESCRIPTIO MORB: CAVSA.

INTERDVM Per incuriam nutricum infantibus accidit etiam, ut uel casu in ignem, uel feruenti aqua, aliquo modo comburantur, quorum corpora combusta πυρικαυτα, Græci uocant. Causa patet. Signa sunt dolor, bullæ seù pustulæ, & exulceratio. Qui morbus si non recte curatur, ex ipsis ulceribus relinquit, & in facie, & in alijs partibus corporis signa monstruosa, & partes affectæ, aliquando exsiccatæ, captæ, debilesq́ remanent. Propterea statim succurrendum est, & uictus ratio in omnibus nutrici instituta ad humidum, & frigidum uergens: loco ambusto hoc modo in principio linimentum hoc, sine ulla dubitatione apponito: Ego enim ipsum expertus sum fœliciter cum multis ambustis, & præcipue cũ Angela filia mihi carissima, quæ dum tertium decimum mensem ageret in ignem ob incuriam eius nutricis cecidit, et totam ferè faciem sibi cõbusit. R. albuminis duorũ ouorum, olei rosati. unc. ij. aquæ rosatæ unc. i. misce, & simul omnia optimè conquassentur: postea pãniculus albus, subtilissimus aut lini, aut serici, qui non sit nimis strictæ texturæ, madefactus prius in dicto linimento, superponatur loco ambusto, & ligetur, & nunquam auferetur, donec conualescat, sed quotidiè bis, terue sine remotione ipsius panniculi, locus affectus super ipsum panniculum inungatur, & illinatur; tran-

SIGNA. PROGNOSTIC.

VICTVS RATIO. MEDICA. RATIO.

facto uerò principio, & hoc usque ad diem ambustionis quartum loco albuminis ouorum, ponantur, & conquassentur in dicto linimento uitelli eorum, & semper super ipsum panniculum inungito, donec uideatur cutis regeneratio noua fieri; tunc uerò cum forfice paulatim, de die, in diem, ubi noua cutis ipsa, & sanitas apparuerit, panniculum incidere debemus, adeò, ut totus paulatim auferatur, quo ablato, uidebitur locus affectus, procul dubio, sine ullo signo permanere. Et huius rei amplissimum testimonium omnibus afferre possunt PETRVS, & BALTHASSAR CAROTTI Humanissimi fratres, probi, ac peritissimi pharmacopolæ in ciuitate Veronæ ad signum aurei plaustri, ubi eorũ clara officina medicamentorum salutarium plenissima, assiduè ad quotidianum usum pro infirmis a medicis frequentatur; qui modo prædicto, ac uirtute istius linimenti sola ab omnibus signis faciei, & totius corporis, infantes quamplurimos combustos, reuocatos, ac incolumes uiderunt. Multa alia inueniuntur remedia ex Paulo Aegineta, & Aetio, ad istum morbum attinentia, & ex multis alijs approbatis scriptoribus, qui tibi sunt consulendi. Sed ego fateor ingenuè coràm Deo, & hominibus, me nunquam expertum fuisse hoc linimentum, modo superius assignato, nisi fœliciter, & quod penes me, tanquàm arcanum habere decreueram; nihilominus utilitatis publicæ causa, in medium mihi proferendum putaui ad laudem, & gloriam D. O. M.

Paul. lib. 4. cap. 11: Aet. lib. 14. cap. 64.

FINIS.

ERRATA, QVAE IN HOC OPERE impresso penitus vitari non licuit, sic corrigenda.

Pag.		
2.	Pro Bilosi	lege Biliosi
7.	nutrimẽtiue	nutrimentumue
15.	emplastei	emplastri
16.	Pupillarum	Papillarum.
20.	in	si
21.	rossati	rosati
22.	ræter	præter
37.	pereunt	pereant
55.	aliquo	aliqua
56.	uirum	uirium
58.	inuidiores	uiuidiores
59.	incedendam	incedendum
70.	amare	amaræ
76.	ui expressus	ui expressa
eadem.	excedens	exedens
eadem.	Postulæ	Pustulæ
eadem	apparent	apparet
77.	crysipelas	erysipelas
79.	mista	mistæ
80.	sulpharis	sulphuris
84	faraminibus	foraminibus
111.	facili	facilis
127.	medicamẽtorã	medicamentorũ
eadem.	iudicabunt	indicabunt
185.	reietis	reiectis
186.	alaminthæ	calaminthæ

